


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXXVIII (Fasc. III) - N. 203  
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXVIII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: M. Molinam, C.M.F., ALAGON (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXVIII (Fasc. III) - N. 203

M. SEPTEMBRI — A. MCMLXVIII

G. PACITTI, <i>Utrum liceat necne, quibus modis sint verba novanda ad novas res significandas</i> ... ..	97
T. CIRESOLA, <i>Ultima Petri agape</i> ... ..	119
N. MANGEOT, S. J., <i>Horis subsicivis</i> ... ..	125
J. FARENGA USSANI, P. ROMANELLI, <i>Per Orbem</i> ... ..	131
BIBLIOGRAPHIA, E. Tejerina, D. Mosaka, P. Herranz ... ..	137

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XXXVIII (Fasc. III) — N. 203

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXVIII

---

## UTRUM LICEAT NECNE, QUIBUS MODIS SINT VERBA NOVANDA AD NOVAS RES SIGNIFICANDAS

*(Oratio de novandis verbis Avenione, in conventu  
ex omnibus nationibus, Non. Sept. a. 1956 habita)*

Si forte adulescentuli, qui in secundi ordinis scholas disciplinae causa itant, Romanos quoque «horologia» ad metiendas horas adhibuisse comperiant, si forte didicerint prisca Romanorum aetate «pigmentariorum» opera suaviores gustatu factos esse cibos; ab «anulariis» vero, a «margaritariis», a «gemmariis», ab «aurificibus», a «brattariis», ab «inauratoribus» Romanos monilia, torques nec non armillas multa arte caelatas consuevisse emere ad mundum muliebrem ditandum, eodem fortasse modo afficiantur ac si quis terras, gentes ignotas peragret. Si forte denique comperiant isti discipuli prisca Romanorum aetate «fontanis», «fullonibus», «tinctoribus», «infectoribus», opus fuisse, qui vestes purgarent, pannos lanasque variis coloribus inficerent, valde admirentur tam multos obscuros extitisse homines, tam multa verba, quorum nullam antea habuissent notitiam. Neque minus hoc admirentur, etiam tum «catabolenses» adhibuisse Romanos ad merces hominesque vehendos, «cisiis» autem, «cisiariis» seu «vecturariis» opus fuisse, ut per «amica silentia lunae» gestarentur, oblectationis causa.

Num quid isti adulescentuli de crepundiis, de ludis, quibus aequales antiquitus se oblectabant, unquam noverunt? Num quid de «dropacibus», de «psilostriis», de «periscelidibus», de «strophiiis», de «zonis», denique de «stolis»?

Quampquam cur nobis admirationem moveat quod discipuli vocabula numquam antea audita tam vehementer stupent, cum solum

optimos probatissimosque scriptores eis ipsi imitandos proponamus, utpote qui optima quaeque mente et animo excogitata nobis traderint?

Lexica nimirum quibus discipuli utuntur, cum nulla habita ratione condita sint scriptorum, qui alio spectarent quam ut pueros istituerent et informarent, omnino vocabula neglegunt, quae ad vitae communia pertinent.

Haec prorsus causa, cur novae latinitatis studiosi viri decipiantur in spe cum ista lexica adeunt, percontandi causa quomodo ea latine sint reddenda, quae nullius momenti habeantur in historiis enarrandis.

Nemo est qui neget Aloisium Luciano et Cosmum Mariano, viros doctissimos, ut **omittam ceteros, multa in Italia ad hanc rem contulisse**, ad condenda scilicet lexica, quae cujusvis generis vocabula complecterentur; at longa est adhuc via conficienda, ut non solum oratoribus poetisque copia dicendi et scribendi suppeditetur, sed etiam iis qui, cum rerum naturam aperuerint atque investigaverint, physicis e. gr. —ut de his tantum dicamus— latinitatem suffodiunt, ut nova inventa significant aliisque communicent.

Quam ob rem paupertatem obicimus omnibus lexicis, quae verba a scriptoribus serioris latinitatis usitata haud optimo jure spernunt.

«Inarticulatum» adjectivum —ut aliquod afferamus exemplum— ab Arnobio et a Prisciano usurpatum A. Luciano praeterit, cum circuitiones verborum aptius accommodatas latinis auribus ad idem significandum censeat. Quare minime est admirandum quod ad Gellium, ad Senecam confugerit, quorum alter «incondita voce inchoatum quiddam et confusum» adjectivum illud pluribus verbis expresserat, alter circumlocutione «inexplanatae esse linguae».

Eadem de causa Aloisium Luciano neglexisse atque improbavisse putamus «inargentatum» adjectivum, ab «inargentare» verbo tiro-niano deductum, quod nemo optimorum scriptorum in numerum nobilium recepisset; «incendiarium» adjectivum, praeterea, quod apud nos eandem capit significationem ac apud Ammianum et Vegetium (v. gr. oleum incendiarium, naphthas incendiarius). «Incendiarium» quoque substantivum, tanquam si ad Ciceronem latinitas sit omnis perstringenda, apud eum desideratur; πυρα enim, quem veteres Graeci vocaverunt, «auctorem incendii» factum esse apud eum invenimus.

Concedimus tamen Aloisium Luciano longius progressum esse, cum hujusmodi voces serioris latinitatis sumpsisset «ferrumen»<sup>1</sup>, v. gr. «ferruminatio»<sup>2</sup>, «ferrumino, — are»<sup>3</sup>. At nostrae aetatis scrip-

1. PETR. PLIN., 36, 27, § 176.

2. PAUL., *Dig.*, 6, 1, 23, § 5.

3. PLIN., 35, 15, 51, § 182.

tores plurimis nihilominus vocibus egent iisque a veteribus usitatis, v. gr. «oculario chirurgo»<sup>4</sup>, «medico oculo»<sup>5</sup>, «palationibus»<sup>6</sup>, «obstetriciis»<sup>7</sup>.

Ex quo colligitur vehementer esse conquerendum quod nemo ad Forcellinianum illud nostrum Italico vel cujusvis populi sermone interpretandum, operam adhuc impenderit; et tamen scriptorum magna ingenia sunt quae viribus ad id valeant.

Attamen e nobis quaerunt quispiam num hujusmodi lexicon possit necessitates omnino explere eorum, qui sermone latino uti constituerint ad omnes res nostrae aetatis significandas, eorum, denique, qui novis inventis nomina imponere velint.

Quare huc summa hujus commentarioli pertinebit, ut una vobiscum disputetur primum utrum liceat necne res novas latine interpretari et nova verba ad eas interpretandas facere, deinde quanam sit de re sententia nostrae aetatis scriptorum, qua mente et ratione rei consuluerint isti, quid praeterea stili latini prudentes de hoc in praesentiarum sentiant, quibus modis, denique, sint vocabula cum novanda, tum excudenda.

Utrum latinae linguae thesaurus sit integer et incorruptus servandus, utrum poetis scriptoribusque nostrae aetatis sit imitandus, an liceat libertate quadam et liberiore licentia uti, si necessitas cogit, novaque verba fingere, ab ultima antiquitate disputatur.

Profecto fuerunt qui ad incorrupti sermonis custodibus quaerent num aliter ac «horologium» (ὠρολόγιον) significandum esset instrumentum, quod Romam praeda belli allatum erat ducentesimo tere anno a. Ch. n.; num obstinata mente repellendae essent voces, quae una cum rebus in urbem invectae essent vel saltem, sumptae, naso suspendendae essent adunco.

Ceterum utrum integer servandus esset necne latius sermo jam inde disputatum est cum vigeat ipse ex quotidiano civium usu; in utramque partem a viris acerrimo ingenio et judicio praeditis disputatum est jam inde ab aetate quae a renascentibus litteris et artibus nuncupatur, a Laurentio Valla scilicet, a Paulo Cortesi, a Petro Bembo, a Poggio Bracciolini, ab Angelo Politiano, a Pico Della Mirandola, ab Erasmo.

Quo in loco res steterit apud humanistas qui dicuntur Jacobus Devoto, vir doctissimus, paucis comprehendit<sup>8</sup>: disputationem apud eos fuisse utrum veteres optimique scriptores diligenter imitandi essent, an potius multum necessitati, multum usui dandum esset.

Hinc igitur disputatio, quae in altercationem, non sine contumeliis quodam modo intermixtis, versa et mutata est; Angelus Politiano

4. *Inscr. Grut.*, 400, 7.

5. *Inscript. ap. Murat.*, 927, 5.

6. *Vitr.*, II, 9.

7. *Plin.*, XXXV, 11, 40, 33.

8. G. DEVOTO, *Storia della lingua latina*, Bologna 1944, p. 358.

enim Paulo Cortese tauri faciem vel leonis jucundiolem ac simiae esse opposuit, quamvis haec simillima hominis<sup>9</sup>; se praeterea cum psittacis et picis eos comparare, qui nihil aliud facerent, nisi veteres scriptores imitarentur<sup>10</sup>.

Quae de stilo latino, eadem fere de novis vocibus disputabant isti doctissimi viri.

\* \* \*

Non ea mente tamen commentariolum hoc confecimus ut penitus investigaremus quid de hoc argumento veteres scriptores et grammatici sentirent, utpote qui, quam qui maxime, jure integritati sermonis latini servandae studerent; neque est nobis in animo quomodo legibus propriis linguae latinae verba adventicia et peregrina accommodata sint perspicere.

Minime tamen praetereundum videtur veteres scriptores et grammaticos haud semper sibi constantes et consentaneos fuisse; non aliter, praeterea, eos dissensisse ac, omnibus temporibus, cujusvis linguae prudentes.

Caesar enim «gravis auctor linguae latinae»<sup>11</sup>, «sermonis praeter alios suae aetatis castissimi custos<sup>12</sup>, cum contendat orationem bene latinam illam solum esse, quae, «tamquam scopulum, inauditum aequae insolens verbum» vitet<sup>13</sup>, peregrinis vocibus parce utitur, iisque usu consecratis, necessitate coactus.

Cicero autem, quamquam, sollicitus de integritate sermonis servanda, «bonitati» potius latinorum verborum saepius studet, quam «splendori Graecorum»<sup>14</sup>, quamquam aequalibus suadet ut sermone eo utantur «qui innatus est nobis, ne ut quidam, graeca verba inculcantes, jure optimo» rideantur<sup>15</sup>, minime a novis verbis faciendis aut a similibus mutuandis abhorret quotiescumque necessitas eum cogit res ignotas nominibus significare<sup>16</sup>.

Ceterum, siquidem «utilitas expressit nomina rerum»<sup>17</sup>, nihil est mirandum necessitatem Lucretio suasisse ut ad thesaurum linguae graecae confugeret:

Nec me fallit Grajorum obscura reperta  
difficile inlustrare latinis versibus esse,  
multa novis verbis praesertim cum sit agendum  
propter egestatem linguae et rerum novitatem<sup>18</sup>.

9. *Epist.*, IX, 16.

10. *Ibid.*

11. *GELL.*, IV, 16, 7.

12. *Id.*, XIX, 3.

13. *GELL.*, IV, 16, 7.

14. *Orat.*, 49, 164.

15. *Off.*, 1, 3.

16. *Orat.*, c. 62.

17. *LUCR.*, V, 1029.

18. *LUCR.*, I, 136 seqq.

At quaedam alia etiam sunt, quorum arbitrio sermones tempore immutantur; usum, dicimus, «quem penes est et ius et norma loquendi»<sup>19</sup>, nova adscivisse atque produxisse<sup>20</sup>; morem, denique, (ut est de vestibus et de habitibus), multa nova vocabula in latinum sermonem induxisse.

Nemo est praeterea quin consideret priscam latinitatem haud alio studio novas voces appetivisse, quam recens res publica terris cupide potita est.

Nihil tamen hic de verbis ab Etruscis, a Celtis, a Gallis, a Germanis a compluribus denique populis mutuatis. De vocibus autem e graeco sermone sumptis aliquid dicendum putamus, quarum aliae imitatione sunt expressae, aliae linguae latinae apte accommodatae sunt ad aliquid simile significandum, aliae, denique, litteris tantum mutatis, integrae in latinum sermonem receptae sunt.

De his vocibus protinus Romae disputatum est utrum accipiendae an repellendae essent, utpote cum sermo graecus gratia maxime floreret et in periculum latini sermonis integritatem adduceret. Quorum vocabulorum multa, cum iam inde a prisca latinitate ad rerum divinarum vel ad rei publicae rationem definiendam, ad res novas nomine appellandas usurpata essent, atque in civitatem recepta essent, caeli solique Romanorum naturae, ut ita dicamus, plane assuefacta, haud facile in mari magno sermonis aliquis discerneret. Quis enim «ampullam», ex «amporela» voce fictam, ad anum aviam «amporam» revocaret<sup>21</sup>, quae caelum graecum antiquitus mutaverat?

«Machina», «mechanicus», «camera» in Urbem invectae sunt postquam iter per colonias ionicas fecerant, vel doricis, vel saltem per Etruriam<sup>22</sup>; «patina» et «sporta» in Latium venerunt simul cum rebus quas significabant; «crapula» antiquitus Latini mutuati sunt a  $\kappa\rho\alpha\iota\tau\lambda\eta$ ; est «persona» linguae technicae —ut ita dicamus— vocabulum, artis scenicae proprium. Jam inde a temporibus Plauti, denique, «balineum», «mina», «cista»<sup>23</sup>, «anc(h)ora», «tessera», «thermopolium», «platea», «nummus», «stomachus» per fines Latinorum vagabantur.

Nunc pauca de istis vocibus. «Machina ( $\mu\eta\chi\acute{\alpha}\nu\eta$ ) tam prosperam et diuturnam fortunam nacta est, quam nulli verbo sibi fore sperare licuerat. Hac voce proprie usi sunt Vergilius et Vitruvius; alter ut machinam illam in muros Trojanorum fabricatam significaret, alter ut uno verbo instrumenta omnia appellaret, quae ad movendum aliquid valerent, ad trahendum, ad levandum, ad prociendum,

19. HOR. A. P., 70.

20. ID., Ep., II, 2, 119.

21. NIEDERMAN, *Phonétique historique du Latin*, Paris 1945, p. 113.

22. DEVOTO, O. C., p. 88 seqq.

23. ID., O. C. p. 128.

turres, v. gr., balistas, vineas, arietes, scorpiones, catapultas<sup>24</sup>. «Machina» translate usus est Plautus ut consilia dolose perfecta significaret<sup>25</sup>, Lucretius<sup>26</sup>, Lucanus<sup>27</sup>, Manilius<sup>28</sup> vero usi sunt ut «omne caelum totamque cum universo mari terram»<sup>29</sup> complecterentur.

Cum nos, denique, hoc verbo omnia fere, quae manu et mente conficiuntur significemus, nonne semasiologiae peritus inde colligat Latinos «machinam» probavisse, utpote quae aptius ac «instrumentum» omnes expleret necessitates?

«Cameram» profecto a Graecis mutuaverunt Latini, cum haud aptum «fornicem» ducerent ad totum tectum significandum; «fornices» enim singulos camerae arcus Latinos appellavisse est auctor Forcellinius<sup>30</sup>.

«Patina» et «sporta», quae una cum rebus in Latium antiquitus invectae sunt, adeo graecitatem redolent, ut graeca verba potius quam graecanica sint habenda<sup>31</sup>.

«Crapula» unum idemque est ac κραπάλη, neque necessitas Latinos coegit ut graecanice dicerent, cum «ebrietas» eis praesto esset ad intemperantiam saltem bibendi significandam.

«Anc(h)oram» denique donum acceperunt Latini a nauticis graecis; «tessera», «thermopolium», «platea», «nummus»<sup>32</sup> in sermonem latinum inducta sunt a Siculo, upote qui multo antea barbariam deposuissent et ad humanioris vitae cultum pervenissent.

Si quis denique sescentas perpendat voces, quae in Romanorum et Graecorum finibus invectae sunt, alias alia causa inveniat secundam habuisse fortunam, neque semper necessitatem Latinis suasisse ut eas tamquam pro suis haberent.

Nunc esse pretium operis putamus a Cicerone requirere quid de graecanicis vocibus senserit in scriptis, praesertim, quibus artem dicendi ad certam rationis normam redigere constituit Latinisque ea tradere quae de re a Graecis didicerat<sup>33</sup>.

Quibus in conficiendis Cicero, cum vehementer admiraretur tam

24. Cfr. VITR., 10, 15 seqq.

25. *Mil.*, 3, 2, 1.

26. V. 96: ruet moles et machina mundi.

27. 1,79: Totaque discors Machina divulsi turbabit foedera mundi.

28. II, 807: dissociata fluat resoluta machina mundo.

29. Cic., *Fin.*, 2, 34, 112.

30. Cfr. FORCELLINIUM, s. v.; SALL., *Catil.*, 58; Cic., *Fr.*, I, 1.

31. Minime tamen Varro (*L. L.* 4, 25 sub fin.) impeditur quominus «patina» vocem a «patulo» et a «patendo» deducat.

32. Cfr. J. COUSIN, *Evolution et structure de la Langue Latine*, p. 117.

33. Jure quidem gloriatus est Cicero se primum Graecorum philosophiam latino sermone proprie et accurate pervulgasse. Quatenus autem opus omnino ille confecerit, viderit qui haec a Seneca scripta consideraverit: «Quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit, numquam magis quam hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quae nomina desiderarent nec haberent: quaedam vero, qua cum habuissent, fastidio nostro perdidissent» (*Ep.*, III, 58, 1).



numerosae, tam admirabili ratione verborum graecorum sonitum et colorem inter se consentire atque conspirare ad aliquid praecise et proprie significandum, modo voces in sermonem recepit e lingua graeca deductas, modo pluribus verbis voces graecas explicavit, tamquam si veniam sibi impetraret quod eas usurpavisset, modo vocabula ea ratione finxit ut lineamenta Graecorum imitaretur<sup>34</sup>. Voces graecas denique graecis litteris expressas Cicero in libros rhetoricos induxit, ut eis quodam modo voces latinas fulciret et sustineret, quae parum valere viderentur ad aliquid novum significandum<sup>35</sup>.

Hinc colligere licet Ciceronem, dummodo ne inopia verborum naturam et perspicuitatem rhetorices corrumperet atque inficeret, scrupulis et dubitationibus censorum posthabitis, graecari, ut horatiano verbo utamur, non dubitavisse.

At non semper Latini necessitate coacti graece locuti sunt, siquidem in satirarum libros undecim centesimas partes graecanicorum verborum recepit Horatius, Propertius duodecim in elegiarum libros, quattuordecim Vergilius in Bucolica, quindecim Juvenalis, viginti denique centesimas partes Persius in satirarum libros<sup>36</sup>. Virginti tria istiusmodi verba graecanica, praeterea, in poematio c. t. «Copa» se invenisse est auctor Julius Marouzeau vir doctissimus.

Quare est dicendum Camenas peregrina verba exprimere et adventicia, grajis sororibus suaviter suadentibus, libenter didicisse.

Licet enim Ennius veniam sibi petat quod «aëra» et «sophiam» usurpaverit; at nihilominus eas usque usurpabit. Licet Cicero «physicum» pluribus verbis explicet ac declaret, ut nos moneat se «speculatorem et venatorem naturae» hoc vocabulo significare voluisse<sup>37</sup>; at numquam putabimus eos id fecisse quod verba ex graeco sermone translata fastidirent.

Aliam proferendam esse rationem putamus qua ad imitationem sui graecus sermo Romanos vocaverit ad voces compositas scilicet

34. «Qualitates» igitur appellavi quas ποιότητες Graeci vocant (Acad., I, 6, 24).

35. Χαρακτήρ, σχῆμα huiusmodi verba sunt, quorum alterum ea mente Cicero usurpavi: ut «formam» fulciret: «sed in omni re difficillimum est formam qui χαρακτήρ graece dicitur exponere optimi», alterum ut «gestum» sustineret: «illam autem concinnitatem, quae verborum collocationem illuminat iis luminibus, quae Graeci quasi aliquos gestus orationis σχήματα appellant (Cic., Or., 25, 83).

36. DEVOTO, o. c., 225. — Quamquam ne hac quidem aetate defuerunt qui graecis graecanicisque verbis pertinaciter adversarentur. Suetonius (Tib., 71, 1) gravissimus est auctor Tiberium, ut erat priscorum morum fautor, latini sermonis integritati summopere studuisse: «Sermonem Graeco quamquam alioqui promptus et facilis, non tamen usque quaque usus est abstinuitque maxime in senatu; adeo quidem ut *monopolium nominaturus* veniam prius postularet, quod sibi verbo peregrino utendum esset, atque etiam cum in quodam decreto patrum μβλημα recitaretur, commutandum censuit vocem et pro peregrina nostratrem requirendam aut, si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam, militem quoque graece testimonium interrogatum nisi latine respondere vetuit».

37. Nat., I, 83.

findendas, a quibus natura illi abhorrebant<sup>38</sup>. Nam «republica», «agricultura», «aquaeductu», «jurisconsulto» posthabitis nec non «satisfacere» et hujusmodi verba, quae, cum ex duobus verbis conjunctis constant, specie tantummodo composita videntur<sup>39</sup>, nemo dubitat quin ad imitationem sermonis graeci «nubifer», «claviger», sint composita «agricola», «grajugena», «alipes», «centipes», «septemgeminus», «nemorivagus», «refugium» et hujusmodi verba.

Haec de vocibus e graeco fonte deductis. Multas autem voces e nullo alio fonte, quam e latinis verbis derivatas, veteres usurpaverunt nulla quidem necessitate coacti, aut ditandi causa thesauri, sed ubertate quadam ingenii aliquando permoti, nonnumquam cupidine aliquid exquisitius, vel accuratius, vel inusitate significandi.

Hae prorsus causae, cur Apuleius, «lemuribus» «larvisque» neglectis, «occursaculum» ab occurrendo<sup>40</sup> «formidamen»<sup>41</sup> a formidando finxerit, «terriculamentum»<sup>42</sup> autem a terrendo, «emasculatorem»<sup>43</sup> pro «drauco»<sup>44</sup>, «virginal» denique pro pudendis mulierum<sup>45</sup>.

Huic rationi Tertullianus debitum obsequium, non ut novas res significaret, sed quo magis ornatam et politam orationem faceret novis findendis verbis. Ea mente enim *advocatorem*, *destructorem*, *aversatricem* excudit, ut alter «aspernatori», alter «aedificatori», altera vero «adulatrici, per analogiam, seu per similitudinem, responderent»<sup>46</sup>.

Quid tandem de Augustino qui nulla alia causa, quam ut expeditam et perfacile currentem orationem conficeret, *numeratorem* quendam *siderum*<sup>47</sup> invenit, *seminum commotores* et *emissorem*<sup>48</sup> *conlectores* praeterea, *dictores*, *emissores*, *insignitores*, *pensores*, *sensificatores*, *trucidatores* denique<sup>49</sup>, ut voces novas, quibus notio-

38. COUSIN, o. c., 114, 173.

39. Cfr. A. GANDIGLIO, *Gramm. lat.*, 359 seqq.

40. «Omnia nocturna occursacula», *Apol.*, 64.

41. *Ibid.*

42. *Ibid.*

43. *Apol.*, 74.

44. Hoc verbum graecanicum alii putant, celticum alii. Cfr. ERNOULT-MEILLET, *Dict. étymol. de la langue latine*, s. v.

45. Conficta causa hoc verbum finxit APULEIUS: «disce enim nomina rerum latina, quae propterea nominavi, ut denuo instructus accuses». *Apol.*, 74.

46. «Deus divitum aspernator, mendicorum advocator», *Marc.*, 4, 15. «In reliquiis animae adulatrix, sed crudelitatis aversatrix», *Anim.*, 51; cfr. G. DEVOTO, o. c., p. 328. H. Hope vir doctissimus in Tertulliani scriptis se invenisse est auctor CMLXXXII nova vocabula.

47. *Conf.*, 5, 4.

48. *Civ. Dei*, 7, 3.

49. Cfr. G. DEVOTO, o. c., 328.

nes abstractas expressit, omittan, nominaque agentis, quae, ex Joannis Cousin sententia<sup>50</sup>, scriptor iste excudit<sup>51</sup>?

Hic percontetur aliquis num post priscam, post seriore[m] dilapsam latinitatem, incorrupti sermonis custodes aequo animo acceptam cladem jam passi sint. Minime vero.

Aetate enim quae a renovatis litteris nuncupatur, latini sermonis studiosi, in primis Franciscus Petrarca, qui, ex Josue Carducci sententia, latinitatem in dicionem Ecclesiae dilapsam ad laicorum statum —ut ita dicam— reduxerat, cum operam impense ad purgandum sermonem dandam esse existimarent, bipertito manus conseruerunt liceretne thesaurum latinum usque ditare.

Quae de hoc Remigius Sabbadini doctissime disputavit<sup>52</sup> nemo est qui ignoret; hoc tamen liceat referre, ex doctissimis humanistis, quos vocant, quantum ad nos Italos pertinet, non eos modo nova vocabula finxisse, qui putarent latinum sermonem usque vigere et in cotidiano usu vitae usurpari posse, sed eos etiam qui, cum istum non jam usitatum sermonem ducerent, certam spem haberent fore ut sermo italicus temporibus inualesceret eique faverent.

Nimirum Franciscus Petrarca nova verba fecit, idemque Poggius Bracciolini *certificare, dignificare, decadas, frustecula*, aliaque sexcenta finxit; *anaticulum, hirquitulum, titonat, hinnifrenit* —ut pauca tantum commemoremus— excudit Pontanus; *asciticium, deornamentum, praeanimosum* Laurentius Valla, qui tamen reprehendenda ducebat *calamarium* pro «theca calamaria» ab aliis usurpata, *defectum* pro «vicio», *indulgentiam* pro «venia». Quae tamen Beroaldus peperit *secretarium, galleriam, girandolam* scilicet, omnibus non modo reprehendenda, sed potius respuenda visa sunt.

\* \* \*

Nunc autem disceptemus oportet quid nostra aetate de novis, de novandis verbis sentiamus, quid de hoc praesertim latini scriptores sentiant, qui videlicet plurimum in hoc auctoritate valent.

Quorum defendunt alii incorruptum servandum esse latinum sermonem, alii vero locum esse non modo novis verbis, sed etiam novis verborum complexionibus. Quod si quis causam quaerat, cur non unum et idem sentiant isti, eos inveniat inter se dissentire ingeniorum diversitate potius, quam disputandi cupidine, vel controversiae invicem inferendae.

Cum enim eorum alii, carminibus vel scriptis, pertractanda sibi

50. O. s., p. 206.

51. Certissimam non invenimus causam cur, ex Joannis Cousin auctoritate, Augustinum affirmarem haec excudisse verba, cum Tertullianum Lactantium, Ammianum ea usurpasse satis constet: contradictor, examinador, ilustrador, salvador, scrutador, mediator, operador, ordinador.

52. *Storia del Ciceronanesimo*, pp. 75 seqq.

sumant ea quae omnibus temporibus mentes hominum ac sensus commoverunt, e nullo alio fonte voces hauriendas esse censerent, quam e sincera et incorrupta latinitate, neque, quantum ad se pertinet, ullam de novis verbis litem sub iudice esse.

Haec quidem sentit Hugo Henricus Paoli vir doctissimus, qui cum nullam paene libertatem sibi dandam in fingendis, nullam in usurpandis novis verbis existimet, *naeniolam* solum in elegiam «Ad Luciam Beatricem» inducit<sup>53</sup>, *mortiferam fistulam, mortiferum tubulum* in carmen de *Plose* monte<sup>54</sup>. Adeo prorsus poeta orationi bene Latinae studet, ut vix, penitus inspicientes, in ejus carminibus verba parum usitata deprehendere possimus «martyrium»<sup>55</sup> «blandiloquentem»<sup>56</sup> «thecam»<sup>57</sup>. Quorum verborum tamen alterum Terullianus, alterum Laberius, alterum denique Varro et ipse Cicero usurpaverant.

Ceterum verba iam usitata mavult novaque parum accommodata existimat cum philologorum, tum poetarum ingenio. Quare *electricam vim*, quam Joannes B. Pighi vocat ad rem apte et perspicue significandam Hugo H. Paoli singulari ornat virtute poetica:

*Et celer it currus, domita vi fulguris actus,  
secti cui montes dant per opaca viam.*

(Francisci oppidum, 7-8)

Quamquam et gravissimum istum juris peritum cupido aliquando incedit res Latinis ignotas per jocum, quodam modo, significandi et nova fingendi in carminibus, quibus «apophoreta» ornat, e. gr. *cuspidem scriptoriam, discum grammophonicum, herbam nicotinam, hastularum flammiferarum thecam, machinulam igniparentem, ocularia nigris vitris instructa, potum Arabum*.

Haud aliter de hoc argumento Nellus Martinelli sentit poeta, idemque philologiae peritissimus; qui cum res et personas cogitatione fictas, in rebus et in locis antiquis usque viventes inducat, nullis novis verbis eget.

Neque tamen omnino repellit ille voces novas atque aspernatur; quin immo in ejus carminibus *campanam, machinam radiatilem, radiatilem arcam, ignivomum telum crepitans* legimus et hujusmodi versus:

*At tum (paene pudet) magicas qui lampadas intus  
lumine mirifice vitaeque et vocibus implent,  
ausus sum nitidos globulos versare rotantes*<sup>58</sup>.

53. Riv. «Atene e Roma», 1956, I.

54. Riv. «Latinitas», 1955 (IV).

55. *Isarci Cantus*, Riv. «Atene e Roma», 1956, I.

56. *Ad Alafridum*, ibid.

57. «*Plose*» mons., Riv. «Latinitas», 1955, IV.

58. *Epicedion*, 34-41.

Quae Hugo Henricus Paoli, quae Nellus Martinelli, eadem Aldus Bartalucci, Josephus Morabito, Joannes B. Pigato, Joannes Ambrosi compluresque alii gravissimi optimique scriptores sentiunt.

\* \* \*

At plurimi sunt qui aliter causam disceptent et de ea aliter discernant. Qui adeo nostrae aetatis inventis atque excogitatis student, eaque latino sermone interpretari, ut cum veteribus scriptoribus elegantia et peritia dicendi certare videantur.

Quod scriptorum genus in primis illustrant, pro sua quisque ratione, Victorius Genovesi et Aloisius Guercio.

E magno sermonis latini fonte largos haustus Victorius Genovesi bibit, undique camporum latinos flores delibat et carpit, carptosque lepore eleganter tinctos proprio et peculiari colore promit ad quaevis significanda. En causam cur minime admiremur poetam istum, quamvis totus noster, quamvis novis rebus vehementer studeat, nova quaeque eaque miranda nostrae aetatis inventa usitatis verbis semper exprimere.

Versus ejus enim «scriniolis loquacibus» seu «vocalibus capsulis» circumsonant et «strepentibus fabricis»; per undosa aequora «ferreae carinae», nullam idoneam tempestatem nactae, navigantes inducuntur «carinaeque cataphractae aere instructae tormentis», «navifragi lembi mantes mersi» seu «furtim nantes fluctu profundo»; per aëra vero volantes «velivolae cymbae», «nubivagae carinae», «aëriae naves». In Victorii Genovesi carminibus «volucrem cymbam» conscendunt peregrinantes «mantica manuali operta tela picata» onusti; «calamis manantibus sensim atramento» chartas scriptores exarant. «Fumifera venena», praeterea, seu «vaporiferae nubes pluentes fumiferam pestem» ora strangulant bellaque atrocissima usque efficiunt; «latice ignifero» moventur rhaedae et plaustra, «novacula» viri barbam rasitant, «cujus lamella tegitur repandis denticulis, instar rastelli, unde abest periculum vulneris inficientis ora»; «plumeis floccis» vero mulieres «fucoque rubenti» mira arte venustiolem faciem efficiunt.

Haec de poeta, Scriptor autem Aloisius Guercio, omnino liber, per priscam, per seriorelem latinitatem vagatur; eam, nulla religione obstrictus aut perturbatus, compilat, usitata verba ad aliud quid simile significandum detorquet et accommodat, multa nova, denique, mira fingit sapientia.

Itur ad astra una cum Aloisio Guercio «machinis... ingentium disposionum repulsu actis, celeritate pollentibus, quam horrere quidem licet, non umquam concipere mente, nedum fas sit usitatis mensuris metiri». Quae autem mira vis, scilicet *electrica vis*, in machinis inducta perficit, oculis intentis spectamus, quae «immanes massas

ferri inter officinarum stridores versat, pertundit, dissecat in latas laminas; pulsu jubet currus navesque volare, imperat ruri torcularibus, tribulis, trapetis. et domi quasi per ludum facit ea quae famularum sunt; lavat levigatque vestes, cibaria concoquit, patinas purgat. pulverem ex omni angulo haurit. denique totam domum pendulis lychnuchis ad multam noctem collustrat...»

Vibrat aliquando ejus oratio «agminibus curruum magno strepitu viam vorantibus», et machinis quae «ordinem carrorum trahunt anhelanti vapore». Salivam interdum movent «crispantes taeniolae butyri introrsum convolutae», «secta in figuram mediluniae ova», quae omnia in aulis cenatoriis convivae apponuntur, qui «codicem paene Justinianum percallescit exquisitarum *curialitatum* et urbanitatum; «lagana» praeterea «interclusa levibus ex pura sligine membranis. et opipare farta extis gallinaceis. trita succidia ovis atque molliculo caseo», portiones carnis vitulinae «*ovicatae*», pulverato pane *crustulatae*, crepitantes sub dente. Mediolanensium gloria» et sescenta alia, quae invidiam versutissimi cujusque Apicii commoveant.

Suavis aliquando ejus oratio etiam torpens mulcet palatum, cum «*gulosiculae* puellae scalpunt ligula argentata optatum dulciculum cum fragorum et citrorum sucis gelu concretum», vel cum «levi stipula nectareas potiones sugunt nivatas».

Gravis tandem requiescit oratio, animus requiescit dum «acta aequatis intervallis sursum reorsum, *campana* maxima promit ingens os modo huc, modo illuc, magnum anhelans gravido de pectore murmur, et longe repulsans; sacri aeris jactatu fit canorus tacitus aër, et voce implet late loca: stat sua gloria insigne antiquae Arcis (Montiscasini): Pax».

\* \*

Hic quaerat aliquis num forte istas novas voces, istas circuitiones verborum scriptores majore ubertate ingenii pepererint quam ut res cogitationesque praecise significarent, num «*floccus plumeus*» «*fumifera venena*», «*navifragi lembi*» et sescenta hujusmodi majoribus sint ficta lepore ac decore, quam ut res nostrae aetatis praecise significarent ac declararent; quaerat propterea aliquis num quando latino sermoni prospere succedat ut munere fungatur, quod sermones, numquam omnino expleverunt ab Athanasio Kirker ficti, a David Sulfrig, a Godefrido Leibnitz viris doctissimis, nec non a Martino Schleyer, a Ludovico L. Zamenhof, a Josepho Peano.

Cum complures optimosque nostrae aetatis scriptores, eosque novandae latinitatis studiosos, percontati simus, quid de novandis verbis sentirent, quibus modis nova verba essent facienda, has eorum sententias habemus.

Aloisius Guercio, de quo multa supra diximus, ad sescentas res

numquam prius auditas, ad nova inventa significanda nobis suadet ut, more graecorum, copulando verba jungamus. Nullus enim est sermo, qui magis ad polynomium lingendum valeat, seu verbum pluribus vocibus concretum.

Sin aliter ad latinum sermonem confugiamus oportet, qui numquam fere officio deerit aut per ambages respondebit. Respondet enim Forcellinius noster «teglatà» aptius quam «tabernaculo», vel «tecto», vel «subgrundio», vel «nubilario», denique, posse significari «tetto di stazione ferroviaria», quem apud nos Italos, «appentis» apud Francogallos, «plattform-roofing» apud Britannos, «Bahnhofshalle» apud Germanos vocant.

Interdum quaerentibus latinus sermo iisdem verbis respondebit, quibus linguis *romanicae* ipse quondam subvenit. Jure praeterea «stloppum» seu «scloppum» usurpabimus potius quam «manuballistam», per onomatopoeiam «schioppo», «fucile», quem vocamus Itali, significantes, «fusil» quem Francogalli, «fowling piece» quem Britanni, «die flinte» quam Germani vocant<sup>59</sup>.

Verba adventicia et peregrina, legibus analogiae scilicet servatis, civitate donemus: quare *cafaeum* sorbilemus, palatum *chocolatillis* mulceamus, ex Hispania «chocolate» voce deductis<sup>60</sup>.

Denique Aloisius Guercio, summa libertate sumpta verborum e tota latinitate hauriendorum ad nova quaeque significanda, triplicem esse rationem sermonis latini contendit: sermonem demissum, ad rem conducentem, qui magno sit usui viris, qui ex omnibus nationibus aliquo convenient de aliqua re disputandi causa; sermonem vero omnino gravem, decorum ad acta sollemnia conficienda, ad literas e. gr. Encyclicas Pontificis Maximi exarandas; sermonem denique exquisita arte et eleganti ratione confectum.

Nellus Martinelli, qui magnum in hac re habet usum, res visu et tactu manifestas circuitionibus verborum aliquando significari posse docet, nonnumquam autem vocabulis voces graecas copulando vel latinis fictis (e. gr. *ferrivia*, *hamaxosticho*, *archiduce*, *bicyclula*, *pyroballistula*), aliquando vocabulis e graeco fonte deductis, nonnumquam, denique, adventiciis vocibus, dummodo ad linguae latinae normam ac rationem eas accommodemus. Haec prorsus ratio admodum apta ad ea significanda, quae cogitatione tantum attingi possunt quotiescumque libros, commentationes conficere statuimus de subtilioribus quaestionibus, de philosophandi ratione, vel res a sensibus sejunctas pertractare. Hujusmodi complures sunt voces nostrates *idealismus*, *materialismus*, *communismus*, *communistes*, cet.; quas tamen nihil nos impedit quominus verborum circuitu

59. *Stloppus*: «Bruit produit en tirant contre la joue un doigt introduit dans la bouche», ERNOUT-MEILLET, o. c., s. v.; cfr. etiam *Persium*, 5, 13.

60. Vocabulum *Atzechorum chocoht* Hiberi, una cum re, primi omnium Europae nationum acceperunt.

significemus, dummodo propria uniuscujusque cogitationis omnino amplectemur.

Quare *determinismum* pluribus verbis definire possumus «eorum doctrina qui voluntatem non liberam, sed rebus et causis exterioribus subjectam esse docent»; *formalismum* autem «exteriorem formam, magis quam res curandi consuetudine».

Cum istis consentit Euaristus De Anversa, cujus de re hanc sententiam habemus: latinis, ut ita dicamus, vestibus, quae graves sint eademque magnificae atque ornatae, e scriptorum operibus sumptis, nostrorum temporum sermo est exornandus; in eis enim quid impedit quominus verborum sesquipedales circuitiones conlocemus? At si quando nova verba sint reperienda ad significandas novas res, nullus sit locus scrupulis, dummodo sermo perspicuus omnibus evadat. Patrum Ecclesiae, philosophorum scholasticorum, qui vocantur, auctoritas valeat sescentorumque scriptorum, qui, latino sermone usi de rerum natura omnibus temporibus disputaverunt, de physicis disciplinis scilicet, de naturali historia, de arte medendi, ut ceteros omittamus.

Quare «procul videndum exhibere», «procul spectandum emitte-re» scribat aliquis ut se optimis studiis ornatum et arte dicendi instructum probet; *stationem* autem *radiophonicam* patiatur *undas televisoras emitte-re*, cum sine floribus excultae orationis, diligenter tamen, rem significare velit. Dixit forte aliquid non recte *stationem* usurpari posse, quod non «stant» sonitus; at cum machinae stent, quae per aethera sonitus pervulgant, optimo jure *stationem emissivam, receptantem* seu *receptivam* corpus omne instrumentorum illud nobis nuncupare liceat.

Nulla modo tandem praeterire silentio possumus quae de re Hamletus Tondini vir doctissimus evulgavit<sup>61</sup>. Qui quidem barbariam eis objectat qui verba perperam novant aut, nulla ratione naturae et coloris latini sermonis habita, nova fingunt; Patres autem, qui vocantur, doctrinae Christianae laudat nec non aetatis mediae philosophos, omnes denique, qui post renatas litteras, saeculo XV, nova verba, necessitate coacti, excuderunt.

Nostrum non est sententiam hic referre omnium scriptorum, quos de re nuper percontati sumus; licet tamen e responsionibus colligere omnibus fere persuasum esse non modo Latinos nomina nova jure fecisse, sed nihil obstare quominus et nos faciamus, si quidem eo spectamus ut commercium inter nos frequentetur cum loquendi, tum audiendi, tum epistularum. Hoc tamen est cavendum,

---

61. Ejus scripta cfr. sis q. t. «Num inter doctos universos novum quoddam audiendi loquendique commercium coalescere possit»; «Communis doctorum sermo latinus esto»; «Facite nobis —aiunt— Latinum facile», in Commentariis q. i. «Latinitas», a. 1954 (I, II) et a. 1956 (II) in vulgus editis.



ne cum Cicerone et cum ciceronianis de floribus, de ornamentis orationis certemus.

Quin immo lucro nobis semper erit apponendum si ubicunque gentium, interpretibus remotis, cum quovis viro sermonem de quavis materia serere possimus, si, praeterea, litteras undecumque gentium nobis datas, nullo interprete, nobis legere detur.

\* \* \*

Nunc prodeant oportet sententiae eorum qui, cum usu et ratione in re, de qua disceptamus, versentur, normas et leges quodam modo sibi constituendas censuerunt.

Quorum in numero est habendus Josephus Maria Mir, qui non modo sua experientia usus, sed etiam eorum, qui adjutricem operam navant in pervulgandis commentariis q. t. «Palaestra latina», scriptis praeterea de novanda latinitate evulgatis, de novandis pertractat vocibus, de novis excudendis vocabulo<sup>62</sup>.

Auctoritate nimirum innixus doctissimorum virorum Antonii Cima, Joannis B. Gandino, Fabii Cupaiolo, Antonii Bacci, Aemilii Springhetti, Noltenii, Josephus M. Mir naturam et nitorem linguae latinae nos consequi posse contendit, dummodo locupletissimum quemque scriptorem veteris aetatis imitemur.

Quantum ad nova fingenda verba pertinet, cadant oportet ista de latino et aliquando de graeco fonte. Verbis tamen licet nonnumquam uti, «quae in cultissimis gentium linguis vulgo usurpantur».

Quod autem haud optimo jure fieri posse negat Joannes Coppa<sup>63</sup>; qui quidem vehementer veretur ne istiusmodi ratio novandorum verborum Esperatianum, vel Volapukianum, vel Folenghianum sermonem potius deceat.

Omittam quae, Idelphonsus Gonzales certa ratione Joanni Coppa opponit<sup>64</sup>; J. M. Mir autem *prunicipem*, *cruminisecium* contendit haud alio jure fingi posse ac antiquitus «auceps» «municeps», «germiniseca», «feniseca» sunt ficta.

Nemini, praeterea, negabitur voces novas excudere, ad res novas significandas, dummodo necessitate cogatur, dummodo eas ad normas legesque conformet, quas veteres secuti sunt cum in derivandis, tum in componendis, tum in hauriendis e peregrinis sermonibus novis vocabulis, scriptis insuper perlectis Caroli Brugmann, Antonii Meillet virorum doctissimorum nec non Alafridi Ernout, Jacobi Devoto, Victoris Pisani, Josephi Vendryes, Federici Stolz, Fer-

62. In libello c. t. «Viget latinitas» («Helmantica» 1954, XVIII) scriptor ista materiam accurate exponit.

63. «Latinitas», 1955, 2, p. 148 seqq.

64. «Helmantica», 1955, n. 21.

dinandi Sommer, Maximi Niedermann, Abel Juret. Quod qui fecerit hybridas, quae vocantur, improbabit; *machinofocilem*, *vapornavem*, *osharmonicam*, immo, et hujusmodi verba horrebit.

In dubium J. M. Mir, verba vocat *telegraphare*, *telephonerare*, *photographare* a *telegraphio*, *telephonio*, *photographia* profecta; adverbium autem probat *telegraphice*, *telephonice*, *photographice*, ex iisdem nominibus deducta.

Voces denique omnino a latinitate abhorrentes flexione latina, quodam modo, sunt ornandae; sin aliter locutio est praeponenda, quae barbaras eas esse significet. Quare en *conacum* seu *aquam vitae conacensem*<sup>65</sup>, *cerasinum* seu *aquam cerasinam*<sup>66</sup> (Kirch), *lac coagulatum* (yogourt); at *musicam quam vocant jazz*, *ludum quem hokey vocant*, dicamus oportet.

Animus: nunc intendamus ad librum inspiciendum de institutione stili latini, quo Aemilius Springhetti totam materiam sibi plane absolvendam constituit<sup>67</sup>, doctrina nimirum innixus doctissimorum in re virorum, scilicet Heinecii, Antonii Cima, Alafridi Bartoli, Osvaldi Berrini, Joannis B. Gandino, Hugonis Henrici Paoli, Julii Marouzeau.

Cum longum sit hic omnia referre quae de singulis scriptor iste doctissime disputavit, paucis multa absolvemus.

Res novas interpretemur oportet per verborum circuitionem, per analogiam significationis propriae, per analogiam significationis translatae, per verborum novationem.

Verba novare autem licet quattuor modis, magna tamen adhibita cura, ut duces veteres scriptores sequamur: per onomatopeiam scilicet, qua orationis figura veteres poetas affatim jam usos esse summe constat, per derivationem analogicam, per compositionem analogicam, per mutationem, denique, propriam vel impropriam ex alia lingua.

Quibus normis et legibus definitis, singulis rationes novandorum verborum juvat exemplis explicare. Haud morosos circuitus verborum Aemilius Springhetti fingit: *digitorum appulsus* vel etiam «*dactylographicam artem*», «*rationem eorum qui ratione nituntur*», «*radiophonicum instrumentum*», «*administrum a relationibus rerum exterarum*», «*coloniis regendis moderandisque administrum*», «*agriculturae provehendae administrum*», «*divinitatis infitiatorem*», «*unius materiae assertorem*», «*dignitatem pontificalem*», «*munus sacerdotale*», «*corporatorum opificum rationem*».

Quandoquidem ludos aliquos, quibus nostra aetate oblectamur, cum ludis antiquis comparare licet, *harpasti* vel *follis ludus*, *oblongi follis ludus*, *latruncolorum ludus*, per analogiam significationis pro-

65. Cfr. ALOISIUM LUCIANO, o. c., s. v. «sucus ex racemis expressis».

66. Scil. Kirck.

67. *Institutiones stili latini*, Pontificia Universitas Gregoriana, Roma 1954.

priae, voces barbaras jure interpretantur *foot-ball*, *rugby*, *giuoco degli scacchi* quem Itali, *jeu des échecs* quem Francogalli, *to play chees* quod Britanni, *das Schachspiel*, quod Germani vocant.

Cum praeterea veteres vocabula per translationem usurpavissent ad aliquid simile significandum, jure Christiani scriptores, ad quaedam sua propria interpretanda, *absolutionem*, *remissionem*, transtulerunt necnon *conversionem*, *gratiam*, *peccatum* et hujusmodi verba.

Licet, denique, verba novare per onomatopeiam, eadem scilicet ratione qua Pontanus *hinnifrenit*, *dentitonat* finxit; per derivationem autem analogicam Pontanum secuti, qui *naeniolam*, *frustillum*, *assenascit*, Politianum vero, qui *breviusculum*, *funditorem*, Longolium, qui *inelegantiam* finxerunt. Ex analogia denique cum «rostratis», «frumentariis» navibus, Aemilius ipse Springhetti *cisternatas*, *petrolearias* quasdam naves edocet appellandas nostrae aetatis.

Nulla est, praeterea, causa cur *operistitium*, *harpastiludium* reprehendamus et hujusmodi vocabula, dummodo leges serventur quibus et veteres verba composuerunt, amotis nimirum hybridis *hydrovolante*, *photopingere*, *teleloqui*, *telescribere*, *biconjuge* (pro «binis uxoribus juncto»), ceterisque hujusmodi verbis.

Quae ex alia lingua sapienter et pudenter mutuaverimus haud omnino spernenda aut improbanda, *archaeologia* v. gr., pro «antiquitatis scientia».

Omnia, denique, gravissimus est auctor Aemilius Springhetti vocabula accommodanda esse ad normam ac rationem Latinorum, quamquam Quintilianus<sup>68</sup>, scrupulis Caesaris omnino posthabitis, negavit se umquam *Calipsonem* pulcherriman Grajorum divam depravatum esse, ut «Junonem» sibi conciliaret.

Ceterum melius haec per se ipse explicabit vir doctissimus, qui inter nos adest.

\* \*

Videamus nunc oportet quomodo praecepta et leges, de quibus supra disputavimus, ad effectum sint ad id temporis deducta.

Plurimum ad rem Antonius Bacci contulit cum lexico condendo vocabulorum, quae difficilius latine redduntur<sup>69</sup>, tum epistulis XIV, quibus praecepta de sermone latino, de novanda latinitate tradidit. Hinc thesaurum latinum impigre et acri ingenio versandum esse accepimus penitusque inspiciendum, ne «archivum», «zelum», «apologiam», «diatriba», «episodium», «methodum», «symmetriam» usurpemus, ut pauca tantum graecanica verba proferamus, cum eadem

68. 1, 5.

69. *Lexico eorum vocabulorum, quae difficilius latine redduntur* (Soc. libr. Studium, 3<sup>a</sup> ed., 1955), decem milia et trecenta undetriginta verborum continentur.

latine «tabulario» exprimere possimus, «studio», «defensione», «altercatione», «disputatione», «a re digressione», «ratio ac via», «partium convenientia», «congruentia».

Quod si tamen nobis latinae voces minime subveniant, si necessitate a peregrinis vocabula commodare cogamur, e graeco fonte ista sumamus, qui ex antiquis jam temporibus nobis benignissimum ultro se praebuit.

Neque tandem negat omnino scriptor aliquid usui dandum esse —dummodo tamen ne liberior sumatur licentia— cujus opera nomina, quae incerto patre nata erant, justa sunt facta. Quare, cum ne *ecclesiasticis* quidem dari posse contendat ut *conversionem* pro «ad Christianam religionem conversione» usurpent, *devotionem* pro «pietate» *bonum latinum* pro «incorrupta sermonis integritate», *classicos*, pro «scriptoribus optimis», *capitale* pro «pecuniae summa», voces probat usu consecratas *Eucharistiam*, *angelorum panem*, *hypostaticam unionem*, *apostolum*, *paenitentiam*, *sacramentum*, *poenitentiae tribunal*, *transubstantiationem*.

Qua ratione Antonius Bacci lexicon, quod supra laudavimus, composuerit nunc est dicendum.

Multa in primis iisdem vocibus inibi expressa sunt, quibus et veteres scriptores usi sunt ad ea significanda.

*Placida morte* enim, *gratissimis oculorum mendaciis* eadem veteres scriptores expresserunt ac nos Itali vocibus «eutanasia» et «Fata Morgana». «Lucifugum» Vergilius animal appellavit, quod non aliter lucem odit ac qui *photophobia* —ut graece dicamus— afficiatur. Quae, praeterea, «sapo», «septem discrimina vocum» «ustrinum» vocabula antiquitus significaverunt, plane eadem exstant temporibus nostris.

Multa vero per analogiam significationis propriae Antonius Bacci interpretatus est, «anabathro» e Juvenale<sup>70</sup>, «pegmate scansorio» e Vitruvio<sup>71</sup> sumptis, ut machinam scansoriam significaret ad aliquid sublevandum vel deponendum aptam.

Eadem ratione *ramentis sulphuratis*<sup>72</sup>, *flammiferis ramentis* nos docet ille ignem facere, vel *cereolis sulphuratis*, vel *cereolis flammiferis*, ex analogia cum «ramentis sulphure illitis», quibus et veteres ignem accendebant.

Graecanica vocabula fingit aliquando Antonius Bacci, aliquando voces ad rationem latinorum accommodat, quae scriptoribus praesto sint liberalium artium et doctrinarum, v. gr. *cardiographiam*, *cardiographium*, *prophylaxim*, *hypnobasiam*, *homeopatiam*, *photochi-*

70. *Cat.*, 14, 45 seqq.

71. Cfr. *VITR.*, X, 1.

72. Cfr. *MART.*, X, 3, 3; *PLIN.*, XXXVI, 19, 30 seqq.

*miam, phonotypiam, americanismum, socialismum, idealismum, materialismum*<sup>73</sup>.

Res novas elegantibus et politis verborum circuitionibus scriptor iste interpretatur, quas litteratissimis viris ad orationes exornandas, ad carmina condenda, ad inscriptiones exarandas exhibet.

Quare *feminismum, realismum, socialismum*, quos vocant, his verbis explicat ornandae causa orationis «aequandus mulierum hominumque status», «nuda rerum imitatio», «publicorum bonorum publicatio in usum omnium». Eadem quidem ratione usus *marconigramma, radar, goniometrum* quae dicuntur, his verborum circuitionibus significat: «nuntium per aetherias undas missum», «instrumentum radioelectricum praemonens», «instrumentum metiendis angulis».

\* \* \*

Haec hactenus. Nunc de consilio est agendum quod Institutum Romanis Studiis provehendis abhinc multos annos iniit, favendi causa novae latinitati. Non est hic sermo de scriptis latine exaratis vel in epitomen coactis, quae commentariis evulgata sunt, quibus index «Per lo studio e l'uso del latino»; omittimus studium et operam eo spectantia ut acta latine redderentur conventuum ex omnibus nationibus de quavis re pertractanda; cetera omnia omittimus quae, priusquam immanis belli aestus genus humanum commovit et funditus paene perturbavit, apparatus et perfecta sunt; silentio denique praeterimus Certamen Capitolinum, cujus nuntium Quintus Tosatti, Instituti praeses, universis hujus sermonis studiosis, qui prosa oratione valent, jam VII nuper pervulgavit; haec omnia omittimus ut attentos vos teneamus ad consilium, quod ad summam totius rei pertinet,

Consilium dicimus de condendis lexicis a Carolo Galassi Paluzzi, qui tum Instituto praeerat, ea mente initum ne cujusvis nationis docti viri vocabula desiderarent, quibus quamlibet disciplinam, cujusvis generis cognitiones inter se communicarent.

Quare de sonorum ratione ac legibus sive de *acustica* disciplina, de *psychologia* lexica condita sunt, de doctrina, quae ad rem numariam pertinet, de philosophia, de *electrologia*, de siderali scientia, de compendiaria arithmetica, de algebra disciplina, de terrae motibus disciplina sive de *sismologia*, de igniferis eruptionibus, de terrae metiendae doctrina sive de *geodesia*, de aëris statu ac vocibus doctrina sive de *metereologia*, de *aërologia*, de physica disciplina, de terrarum orbis descriptione sive de *geographia*, de aliis hujusmodi disciplinis omnino numero triginta.

---

73. Est, ex Antonii Bacci sententia, locus etiam hybridis, v. g. *marconigrammati, radioesthetiae, televisioni*.

Quorum lexicorum octo tantum, ad id temporis, in latinum sunt conversa.

Nunc denique rationem vobis explicemus oportet, qua unum ex istis glossariis conditum est, quod quidem exemplum ad imitandum proponimus, utpote cum summa rei peritia illud confectum putemus, nec non via ac ratione perfectum. Glossarium dicimus a p. Arcangelo Galli o. f. m. conditum, a Joanne Baptista Pighi in latinum conversum.

Vir hic doctissimus res novas notionesque nostrae aetatis proprias significat

I. verbis a bonis latinitatis auctoribus ad eadem significanda usitatis;

II. verbis ad aliquid simile exprimendum antiquitus usitatis, quod tamen haud longe differret a rebus nostra aetate inventis;

III. verbis, quibus veteres ad aliquid dissimile exprimendum usi sunt;

IV. vocabulis quae, quamquam e latino fonte deducta, frustra tamen in lexico, cui index «Thesaurus linguae latinae», aliquis quaerant, cum, ad summum, a scriptoribus mediae aetatis, quae dicitur, sint usurpata;

V. novis verbis ex analogia cum aliis verbis fictis aut e lingua, qua recentiores Graeci utuntur, sumptis <sup>74</sup>.

\* \* \*

Quantum potuimus ad hoc amplissimum virorum concilium ea diligenter rettulimus quae cum scriptores nostrae aetatis, tum qui omnes novae latinitati favent de re sentiunt.

Minime vero nos fallit plura de hoc dici eaque scitius graviusque pertractari potuisse.

Attamen in aliqua spe sumus Horatii verbis satis omnibus respon-

74. E lemmatibus quae sibi J. B. Pighi sumpsit duo tantum valeant ad rationem explicandam qua glossarium istud ille condidit.

DIAPASON, quod explanat ipse scriptor «instrumentum esse puo certa praestitutaque nota emittitur in exemplum concinentium instrumentorum» \* *diapason* latine nuncupatur. Stellula tamen hoc notatur verbum, ut moneamur illud alia significatione antiquitus usurpatum esse ac nostra aetate. Nam *diapason* Plinius et Vitruvius usurpaverunt auctoritate scilicet Platonis innisi διὰ πασῶν χορδῶν συμφωνία ad graduum sonorum excursus significandum.

«ESPERIENZA», quam dicimus nos Itali, optimo jure «usu rerum», «usu vitae», «re ipsa», vel tandem «prudencia» latine redditur. Cum autem hoc verbo eadem etiam significemus ac Germani et Francogalli «Erfahrung» et «experiment» significant, illud J. B. Pighi «experientia», «experimento» significavit, quibus Cicero quoque, Varro, Ovidius, Vellejus Paternus usi sunt, \* *empiria* tamen, \* *docime*, \* *piramate* insuper adjunctis.

Stellulis autem, quibus haec verba notavit, nos scriptor docet se a Thucydide alterum eorum (ἐμπειρία) deduxisse et a Platone, alterum (δοξίμη) a Dioscoride; tertium denique (πειραμα = πειρασμα) a Testamento vetere profectum esse.

sum esse «signatum praesente nota procudere nomen»<sup>75</sup> licuisse semperque fore ut liceat; posse, praeterea, etiam hodie «nova fictaque nuper verba» habere fidem<sup>76</sup>. Satis iis nos Lucretii verbis respondisse speramus utilitatem «expressisse nomina rerum»<sup>77</sup>, Ciceronem vero necessitate interdum coactum esse «aut novum facere verbum aut a simili mutuari»<sup>78</sup>. Perspicuum tandem exemplum ad imitandum speramus nos veteres scriptores proposuisse, qui aliis etiam de causis ac supra memoravimus nova nomina produxerunt.

Rem jam illuc pervenisse putamus ut quibus legibus sint novanda et fingenda verba, quibus e similibus mutuanda, quibus ex aliis sermonibus denique sint sumenda statuamus; tempus jam venit ut disputando (licet sint istae disputationes plenae concertationum) omnium omnium consensu consilium una ineamus, quo sperare liceat fore ut commune commercium audiendi loquendi tandem coalescat.

Quare, scriptorum et poetarum cum veteris, tum nostrae aetatis versatis, haec haud temere cogitata ad hoc amplissimum concilium referre audemus:

I. quandoquidem latinitas perraro negat se quaerentibus adfuturam esse, dummodo impigre, dummodo sapienter thesaurum inspiciant, omne studium conlocandum esse in novis rebus significandis — quantum fieri potest — verbis jam usitatis;

II. necessitate tantum adductis nobis nova verba excudenda esse, eaque de latino, vel saltem de graeco sermone haurienda, dummodo cum in derivandis, tum in sumendis leges servemus, quas veteres secuti sunt, analogiae praesertim;

III. polynomium seu verbum saepius graecis, rarius latinis vocibus concretum, maxime aptum habendum esse ad nova inventa interpretanda, dummodo leges observentur quas veteres in componendis verbis sunt secuti. Parcius tamen hybridas, quae dicuntur, adhibendas esse voces;

IV. verba per onomatopeiam interdum novanda esse, qua quidem cum veteres, tum cujusvis aetatis scriptores locupletiores sermones fecerunt;

V. e veteribus multa per analogiam significationis propriae vel translatae detorqui posse ad novas res significandas;

VI. multum verba ad rem posse conferre quibus subvenit olim latinus *romanis* sermonibus qui vocantur;

VII. in commentationes, quibus scientiae pervestigations sint pervulgandae praesertim de mathematica disciplina, verba induci posse a scriptoribus usitata vel post saeculum undecimum p. Ch. n.

75. A. P., 59.

76. A. P., 52, 3.

77. V, 1029.

78. Orat., c. 62.

(quod quidem diligentissime commendatum voluisse Institutum Romanis Studiis provehendis ex actis V Conventus Romae habiti accepimus);

VIII. ne sesquipedales circuitiones verborum impedimento sint, quominus res novae perspicue significantur, in libros, in commentationes condendas, quibus sint doctrinae indagations pervulgandae, verba recipi posse, quae in sermones recentiores usque inducantur, in *-ismum*, in *-istam* cadentia;

IX. verba adventicia et peregrina civitate donanda esse, dummodo ea ad linguae latinae normam ac rationem accommodentur legesque servantur, quas secuti sunt veteres in recipiendis peregrinis verbis;

X. omnia verba, e quovis fonte deducta, flexione latina ornanda esse. Quod si tamen longius a latinitate abhorreant quam ut latina induantur veste, aliquam iis locutionem esse praeponendam, qua pateat omnibus nullo modo istiusmodi verba in latinitatem recipi potuisse.

\* \* \*

Hic quaerat castitatis sermonis incorruptissimus quisque custos, quonam modo fieri possit ut tot judicia studiosorum virorum in unum conveniant atque conspirent, quonam modo id vitemus, ne liberiores quisque licentiam sibi sumat in novis fingendis.

Quare hanc rogationem —qua par est observantia— ad hunc doctissimum populum ferre audemus; ut Antonii Bacci lexicon adeo concreseat ut opus perfectissimum evadat, quod a studiosis hujus sermonis adhuc desideratur, eique tamen quam plurimae admisceantur vocabula etiam e seriore latinitate sumpta, prudentia semper adhibitia, quae bonum decet philologum. Ad quod lexicon condendum maximo usui fore putamus peritiam nec non viam ac rationem qua Joannes Baptista Pighi glossarium de *psychologiae experimentalis* disciplina quae dicitur, consilio et auctoritate Instituti Romanis Studiis provehendis, condidit <sup>79</sup>.

Tandem, ne quaestionem infinitam usque consecemur, hoc saltem definite statuendum putamus, ut praestantissimorum ingeniorum opera collegium aliquod constituatur, cujus auctoritas plurimum valeat cum in praeceptis ac legibus constituendis, quibus sint novanda, quibus fingenda nova verba, tum in iudicando quae sint admiscenda sermoni verba a novatoribus ficta, quae vero respuenda.

Professor GUERINUS PACITTI scripsit.

---

79. Hanc condendi lexi rationem explicavit scriptor locupletissimus in Commentariis, quibus «Aevum» index, a. 1939, 1<sup>a</sup> editis.



# ULTIMA PETRI AGAPE

*“Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo,  
qui sunt in Domino”. (Paul. Ad Rom. XVI, 11).*

Qui motus animi abducto tibi, Petre, fuere  
in vincla arreptus fratres cum multa dolentes  
liquisti atque gregem fidum, qui te duce laetus  
ante sibi ignotis nova pabula carpserat herbis?

Dum furor insani desaevit et ira Neronis,  
Narcissi invitum cum fratribus accipit una  
tuta domus te, qui jam mortis obire periculum  
cum grege commisso tibi mavis. Sed procul omnes  
impedens properant a te depellere letum.  
Ampla quidem et spatiosa domus, quae surgit in imo  
collis Aventini clivo, circumdatur atra  
ilice, quae resonat nidis a mane canoris,  
Pars ast inferior Tiberis praelambitur undis,  
quas secat et velis concordi et remige linter.  
Namque sibi vitae Narcissus commoda quaerit  
navigiis, Romam cerealia munera vectans,  
ingenti quae post cumulo vasta horrea servant.  
Pensilis inde suo frumenti tempore tollit  
saccos tolleno tradit plaustrisque ferendos.  
Totum paene diem Narcissi tecta frequentant  
cum servis mercatores, quibus unica cura est  
ferre domum parvo quae magno denique vendant.  
Pulverulenta rotis plaustrorum semita numquam  
cessat, nec deserta silet, quae ducit ad urbem.  
Quare perfugium instantis tibi, Petre, periculi  
Narcissi duxere domum, profundere vitam  
sponte sua nati qui sunt pro patre parati.  
Quis tanta in turba, rerum varioque tumultu  
mentem oculosque seni poterat convertere, canus  
cui caput obstipum decorat rarusque capillus,  
atque genis macies rugas infindit, et artus  
vestis trita, pedes vilis cui calceus ambit?

At nunc vesper adest. Roseas sol occidit inter  
 nubes, quae collis cingunt sacra culmina Jani,  
 in terra magis atque magis densantur et umbrae.  
 Deversoriolum nota sibi in arbore quaerit  
 nunc avis et natis, hominum sensimque tumultus  
 desinit, et vicus sera jam pace quiescit.  
 Nocte ibi Narcissi domus adveniente labore  
 tota vacat, gratis dapibus recreantur et omnes,  
 Myrrhina quas uxor jam ludum operata paravit.  
 Ast epulis pueri satiati ludicra laeti  
 certatim inter se exercent, quoad oscitat unus,  
 alter conivet, gratum petit inde cubile  
 quisque suum. At matris placide sopitus in ulnis  
 Hermullus rivo recreatus lactis opimo  
 dormit, et in somnis quoque matrem quaerit amatam,  
 quem niveis roseum deponit Myrrhina cunis.

Interea noctis sensim gliscentibus umbris,  
 alba nitet stellas inter modo lunula caelo,  
 ecce domum adveniunt ditis raro agmine fratres  
 Narcissi, accipiant a Petro ut verba salutis,  
 atque simul frangant divino munere Panem.  
 Excipit hos omnes Petrus fausta ore precatus,  
 sedulus ac percontatur num in vincula fratres  
 sint alii arrepti, forti qui pectore passi  
 supplicium sint extremum. Nam saeva Neronis  
 nondum in Christicolas diri deferbuit ira,  
 inque dies poenas majores invenit atrox.  
 Omnia quae Petri crudeli vulnere pectus  
 transfodiunt, lacrimasque effundens ingemit atque  
 ad caelum palmis passis: "Mihi protinus—inquit—  
 obveniat Christum fasso decedere vita!".  
 Interiore domo sistunt, ubi fratribus aula  
 tuta piis patet, infestis oculisque remota.  
 Tunc e corde trahens Petrus suspiria, quanta  
 sit Christus memorat passus, qui e stipite pendens  
 pro genere humano veniam est a Patre precatus,  
 Cujus ad exemplum, vestigia sancta secutis  
 lucrum censendum crudeli occumbere morti,  
 perpetua est quibus in caelo post vita parata.

Deinde sacrae trepido succedunt pectore mensae  
 divinoque abeunt fracto post Pane refecti.

Fit tunc alta quies genibus terraque volutis  
 palmis quisque suum supplex caput abdit et orat.  
 Spumosa Tiberis ripis prope murmurat unda,  
 atque domus tenui strepitu fundamina lambit.  
 Nautarum procul interdum modo tollitur auris  
 cantus nocturnis et vasta silentia rumpit.  
 Cum subito auditur procul advenientis in aulam  
 praeproperusque gradus, patet et cito janua. Clemens  
 ingreditur, Petri genibusque advolvitur, atque:  
 "Petre, precor, — clamat — velox hinc aufuge, quaeso".  
 Consurgunt omnes trepidi, densaque corona  
 circumdant puerum, impexus cui fronte capillus,  
 atque genae tenui tenerae sudore madescunt,  
 irriguoque nitent fulgentia lumina fletu.  
 Quid sibi verba velint pueri omnes scire laborant,  
 quisque sua percontatur pro parte, sed ille  
 nunc etiam ingenti quassus formidine pectus,  
 verba nequit proferre, oculis sed respicit udis.  
 qui puerum mox tollit humo in sua brachia, Petrum.  
 Tunc pectus dulci tactus solamine Clemens  
 et dictis paulum recreatus: "Quid prius —inquit—  
 nunc vobis memorem? Namque ad tua limina velox  
 jam venturus eram nuper. Narcisse, malignus  
 occurrit ludi socius cum Sextius idemque  
 infestus mihi quod sector vestigia Christi,  
 Qui ridens mihi: "Quo Petrus se proripit —inquit—  
 iste tuus? Frustra se abdit vagus usque latebris.  
 Perfugiumque Cilix jam servus prodidit, Ipsa  
 nocte favente Petrum custos in vincula ducet".

Tunc subito exarsit fremitu Narcissus in iram:  
 "Quo, fugitive Cilix, hinc te nunc, proditor, abdis?  
 Nequiquam mea vincla fuga depellere pergis.  
 Persequar, atque citus capto tibi pessima inuram".

Haec ait atque oculi minitanti ardore coruscant.  
 Quem miti lenit contestim lumine Petrus:  
 "Nil diri, Narcisse, tuum crudeliter umquam  
 concipiat pectus. Nos omnes detinet error.  
 Quî possum erranti veniam ipse negare petenti  
 Christum qui quondam pavido ter corde negavi?  
 Christi igitur, Narcisse, Cilix quoque pace fruatur".  
 Ast alii circum certatim vocibus instant

supplicibus, praestans inter quos flore juventae  
 Cletus adhuc, laterique Petro qui semper adhaeret,  
 promptus opem praebet, docilis praecepta magistri  
 perficit extemplo: "Per te nos vivimus —inquit,  
 Quid sine te, noster pastor qui diceris almus,  
 eveniet? Sine te quid demum Ecclesia fiet?".  
 Subsequitur Marcus, Petri qui dicta docentis  
 colligit, ac ceris mandat quocumque ferenda:  
 "Sancte parens, hic usque mane, ne desere natos".

Pacata quos, Petre, mones tum voce fideles  
 extrema ut tua verba velint servare: "Triumphans  
 permanet inter nos semper per saecula Christus,  
 atque vices deinceps in terra qui gerit ejus.  
 Ad finem jam perduxi quod tradidit in se  
 Christus opus. Vobis nunc servus inutilis adsum.  
 Est qui vos ducet posthac ad pabula pastor.  
 Tu, Line, pasce gregem, fratrum est haec sancta voluntas".

Obstupuit Linus ut percussus fulgure pectus  
 tantum onus ac supplex tamquam impar ferre recusat.  
 Qui senior, Petri fidus prudensque minister,  
 clarus jam meritis, parcam sibi ducere vitam  
 instituit, dum largus opis modo fratribus exstet.  
 "Ast —inquit Petrus— qui me formidine lapsum  
 erexit quondam, blando tibi corde petenti  
 auxilium praebebit, oves ut ducere possis  
 aeternis carpent ubi pascua rorida rivis,  
 Ut mundus transit velox ejusque figura!  
*Maran atha!* Venit en Dominus, nunc obvius illi  
 quisque sua accensa pergat cum lampade prudens,  
 ac caveat somnus ne lassos occupet artus,  
 nocte dieque vigil precibus sed sedulus instet!".

In vasta cum vox querula exauditur in aula,  
 Narcissique infans incedit Xystulus, annis  
 et tener, infracta et dubio in sermone loquela,  
 candidula indutus tunica talis tenus artus,  
 exigua ac pedibus nudis vestigia figit.  
 In cirros resoluta coma est e vertice flavos  
 atque genae roseo molles ardore renident.  
 Ille viam munit recta queribundus et omnes  
 infanti fratres decedunt, sedulus aula

dulcem in conferta matrem qui quaerere pergit.  
 Filiolo blanda Narcissus voce minatur  
 leniter et digito, properus sed brachia matris  
 ille petit carae, collumque amplexus inhaeret.  
 Tunc circumspiciens omnes intentus ocellis,  
 omnibus arlidet, matrisque beatus in ulnis  
 ore favet roseo. Ut Petrum conspexit in aula,  
 nil mittit. Dulci crispatur buccula risu.  
 Qui tenero infantis capiti blanditur et ori,  
 atque in fronte crucem sacro pollice signat.  
 Ast ille in molli tepefactus pectore sensim  
 oscitat et nictat, dein vix vigil obdormiscit.

Interea Petrus trepidis haec fratribus addit:  
 "Ut fur adveniet nobis necopinus in atra  
 nocte dies Domini. Non frustra saeva dolemus  
 nos, manet excelsi demum quos gloria caeli.  
 Haud secus ac purum flammis ardentibus aurum  
 saepe probatur, et urenti mox igne liquescit,  
 sic et nostra fides, multo pretiosior auro,  
 luctibus interdum damnisque probetur oportet".

Nondum desierat sacras effundere voces  
 atque oregem Petrus nostremum sancta docere,  
 cum pulsare fores rigidas et stridere voces  
 extemplo auditur, trux atque apparet in aula  
 centurio, quicum nonnullus miles in armis.  
 Ille fero vultu clamosa et voce minatus:  
 "Quis —rogat— est Petrus?", simul ac circumspicit omnes.  
 Tum paucis Petrus progressus passibus adstat  
 atque: "Ego sum" tranquillius ait se ac protinus offert.  
 Quem miles nil obnixum citus arrinit arcis  
 extensasque manus vinculis dare sedulus instat.  
 At Petrus sibi submissa prope voce locutus:  
 "Nunc impleta haud invito mihi denique, Christe,  
 verba fuere tua. Extendi custodibus ipse  
 ecce manus ultro, vi nunc ego ducor inermis  
 quo non forte velim: tibi sit sed gloria semper".

Interea questu resonat fletuque, revinctum  
 omnibus, heu, misere Petrum deflentibus, aula.  
 Ast infans matris placide sopitus in ulnis  
 lumina tunc reserat, gemitus conterritus edit  
 inscius, ac lacrimis recidentibus irrigat ora.

Cui vix corde premens ingentem Myrrhina curam:  
“Xyste —inquit— dic, care, vale nunc, pupule, Petro,  
quem fors in terris haud deinde videbimus umquam”.  
Uvidulis infans tractim cui stillat ocellis  
lacrimula atque ut gemma nitet, conatur inepte  
vix muttire aliquid. Frustra, sed risu abeuntem  
suavi prosequitur, manibus motisque salutat.  
Filiolum ille brevi cunctatus respicit, atque  
leniter adridet miti procul ore puello,  
ac manibus vinctis petrus dedit omina Xysto.

PROF. THEODORUS CIRESOLA  
Viale Brianza, N. 22  
MEDIOLANI (20127 Milano) in Italia

# HORIS SUBSICIVIS

## SCIENTIARUM NATURALIUM SUMMI PONDERIS MOMENTUM

Mense Decembri anno 1938 piscis mirus ex oceani Indici altitudine octoginta m. captus totius orbis admirationem excitavit. Quomodo piscis id facere potuerit, ex me quaeris? Qualis erat? Longitudinis 0.78 m., ponderis 55 kg., nominis Caeloacantide. «Nonne pisces, quod ad formam et structuram spectat, omnes sibi similes? Concedo plane, sed hic reliquos superat. Olim ante annos 350.000.000 aetate Silurensi —de Silur formatio terrestris ut Cambrium, Devon, Jura Kreide...— piscis hic vivebat, sed ut plurima animantium genera periisse putabatur, exstant solumm quaedam «fossilia» (Fossilien)».

«Sed quid peculiare in hoc pisce?»

«Sane admirabile quid. Nam pinnas in formam pedum sive manuum mutavit».

«Concedo libenter, sed cur id tanti facis?».

«Ideo quod ex hoc pisce lente homo sapiens se evoluit. Forte tibi delirare videor, amice, sed factum negare minime potes».

«Explanes velim».

«Natura plurima aenigmata nobis proponere solet. Piscis Caeloacanthide primus oceanum reliquit et terram «algis solis» cooperatam, —nulla tunc plantarum genera fuerant—, petivit. Cur id fecerit, nos latet et latebit. Horum piscium genus maxime longaevus et vivax fuerat; quod nisi fuisset, nullo modo per tanta et periculosa temporum spatia idem prorsus permanere potuisset. Postquam igitur in terram natavit, sese ad condiciones terrestres omnino diversas sensim adaptavit et per plurimas animalium species in «hominem sapientem» formam mutavit. Post captum primum aliis in oceani locis nonnulli ejusdem speciei capti sunt. Ideo hic Caeloacanthide totius mundi suscitavit admirationem. Inventus enim est «proavus» totius generis humani. Sed oportebat innumerorum temporum aetatem transiisse et innumerabiles species factas, donec tandem aliquando proavus vere exstaret: equus noster!

Ecce brevem historiam: Eohippus, altitudinis 25 cm.; inde Mesohippus 60 cm. in Nebraska et Austrodakotha vivebat; Parahippus in Texas, tandem Merchyhippus, nostri fere similis. Typus Ameri-

canensis periit. Hispani tyrum hodiernum importaverunt. Ideo Indiani equites Hispanos summopere horrebant, quia equites et equos unum solum esse arbitrabantur. Omnes illae equi species aetate Oligo-zaen ante 75.000.000 annos vixerunt.

## DE SCIENTIA ATOMINUCLEARI

Creatoris mandatum: «Subdite vobis terram» homines aliter aliis temporibus exsequi studuerunt. Saeculum duodevigesimum haud inepte «aetas physicae mechanicae» vocatur; donavit enim nobis primas machinas vapore motas. Saeculum vero posterum «aetas electricitatis» jure vocatur, unde technicarum artium progressus vere triumphalis. Saeculum nostrum dimidium «aetas virium nuclearium» dicitur, quibus quantum debeamus et debitori simus, nondum constat.

Quomodo autem scientia haec sese paulatim evoluit? Atque primum compertum est atomum non esse individuum, ut philosophi Graeci putabant, sed e nucleo et electronibus compositam, quae certis circa nucleum legibus rotarent. Quae cognitio summi erat momenti. Inde enim effectum est, ut structuram et compositionem omnium, e quibus constat universum, recte intellegeremus: qualitates enim metallorum, corporum durorum, gazorum, liquorum et phaenomenorum electricorum, nemque lucis, colorum et processuum chemicorum. Praeterea cognita est vis illa, qua electrona cum nucleo arctissime coarctarentur. Est enim vis electrica eaque attrahens.

Quibus compertis in ipsam nuclei naturam inquisitum est. Negotium perdifficile. Nam quo minor et exilior est res, quae indagatur, eo majores requiruntur vires, quibus in nucleum penetrare possimus. Hujusmodi vires in elementis radiis agentibus quidem insunt, sed iis uti difficillimum. Tum demum illae vires effici potuerunt, cum primas machinas aptas ab anno 1930 construi contigerat. Quo facto compertum est nucleum non esse individuum, ut ante putabatur, sed ex «protono et neutronibus» constare. Protonum significat «primum», «neutronum» vero «carens vi electrica». Numerus neutronum varius est pro elementorum natura. Hydrogenium habet unum, Uranium vero grave —secundum elementorum ordinem 238— centum quadraginta sex. Porro subinde ea vis est detecta, qua protonum et neutrona paene inseparabiliter comprimantur.

Dicitur «vis nuclearis» et est prorsus dissimilis viribus electromagneticis. Hinc viri vere docti intellexerunt vires nucleares esse fontem earum virium, quibus sidera necessariam radiandi vim sume-



rent atque quo pacto elementa chimica caloribus immanibus olim orta sint. Hic memento quaeso ruinas, quas vel unus pyrobolus atomicus in urbe Hiroschima fecerit. Atomorum fissio fons vis nuclearis est uberrimus. Sunt elementa radiis agentia, quae natura radios emittant; est quoque vis radians artificialis, ex memorata evolutione consecuta, quae artem medicam aliasque scientias naturales a biologica ad metallurgicam magnopere promovit.

Restat denique ut quaeramus quid tandem aliquando protona et neutrona sint. Dicunt viri doctissimi esse extremam naturae totius structuram, phaenomenon prorsus novum, unde expansionem universi, legem gravitatis et ipsius naturae originem explicare possimus. Quo altius in naturam inquiritur, eo majora phaenomena vix solvenda inveniuntur. Attendas velim hoc: Vertente nostro saeculo omnes, qui docti esse volebant, Deum esse omnes negare solebant. Sed quicumque hodie Deum non esse dixerit scripseritve, jam non inter viros vere doctos numerari solet. Nam viri experti in dies magis a «divino mirabilique numine» moventur. Deus igitur victor e pugna acerrima decessit. «Deus vere absconditus».

## DE UNIVERSI ORTU

Universum esse factum necesse est, quia materia non aeterna esse potest. Quomodo autem sit factum viri docti dissentiunt. Ex iis, quae vere constant, Paschalis Jordan, Germanus, vir summae ponderis scientifici, haec concludit. Ante annos innumerabiles elementum «Uranium» ex hydrogenio et helio est ortum. Ex condicionibus physcis, quae in universi ortum influebant, haec statuere licet. Viri enim docti lucide demonstrarunt, quo pacto elementa majoris momenti, etiam uranium, iis condicionibus, quae tunc temporis valebant, fieri potuerint, etsi «massa illa» parva et quasi contemptibilis esset. Nam ubique materiam in elementa chemica mutatam esse videmus; sed faci hujus quaestio manet indissolubilis.

Nonnulli astronomi ex crebris indiciis concludunt cosmum primis temporibus minimum fuisse et materiam densissimam et maxime compactam, quales hodie jam non videmus. Atque materia haec sive nucleus dicendus est immensae contractionis vis post tempus denique factum. Nam ante universum creatum nec tempus nec spatium esse potuit, in ipso creationis momento facta sunt. Massa et vis verti possunt, ut Einstein statuit. Nucleus ipse, quem supra memoravi, est invisibilis. Res vere stupenda. Porro electrones, quae summa celeritate circum nucleum rotant —est quaedam ima-

go— aliquando in massam transierunt. Ut enim massa in vim mutari potest, ita vicissim vis in massam. Hoc ex experimentis sole clarius est. Per hanc mutationem, quae in minimis accidere potest, etiam in maximis, id est in universo potest.

Hinc ortus universi ita factus esse concipitur. Neutrones duo—neutron est una ex minimis particulis, quibus atomus constat; dicitur neutron, quia electricitate caret— protinus in massam maxime compactam penetrarunt et ampliarunt ea celeritate, quae lucis est propria: 300.000 km. in minima parte horae. Id momentum fuit, cum vox illa augusta et magnifica intonuit: «Fiat lux». Ita vox illa arcana aliquo modo intellegitur.

Dico aliter: Tunc primus pyrobolus immensus est displosus et fragmina illa pyroboli velocitate 38.000 km. per universum diffugiunt in minima parte horae. Porro ex primae displosionis fragmento candente et liquido, in cujus superficie seu cortice 20-40 km. crasso etiam nunc nonnulla elementa radiis agentia et sunt et lente sese dissolvunt, terra nostra exorta, quae tunc temporis substantiis rarissimis et peculiaribus et fortasse unicis erat contacta: scilicet hydrogenio et albumine. Quae nisi fuissent, nulla vita oriri potuit.

### QUO TANDEM TENDIT COSMUS?

Quaestio haec hodie multum disceptatur, postquam P. Teilhard de Chardin S. J. opus praeclarissimum cui index «Homo in Universo» in lucem edidit.

Orbis noster, quamvis granum cineris perditum in Universo, electus est a Creatore, ut cunae Verbi Incarnati fieret. Nec tamen putaris eum talem ex manu Dei prodiisse qualem nos videmus. «Terra erat vasta» Scriptura dicit. Jam quid erat? Quid totus cosmos? «Rudis indigestaque moles». Ovidius tibi dicit. Primum Massa ex gazis constans, tunc lente ardores ingentes sunt diminuti, facta crusta, surgebant montes, oceani lente suos occupabant locos. Sic lente cuncta sese evolvebant iis viribus, quibus Deus ea instruxerat. Ergo primum stadium: Terra erat vasta et inanis. «Lente vita est orta aptis condicionibus, quas bene novimus. Ita est factum, ut vir doctissimus Americanus vitam modo chemico faceret. Minime autem qualem in plantis unicellaribus videmus.

Atque primae plantae erant «algae», quas usque hodie ubique in paludibus videre licet. Totos occupabant oceanos. Ex istis animalibus unicellaribus lente decursu annorum 50.000.000 prima animalia sese evolverunt, ex iis multicellaria, donec tandem cetera; di-

versorum piscium genera. Sed terra erat vacua. Ergo inhabitabilis. Ideoque vita omnis impossibilis. Fuerat summi momenti hora, cum piscis aliquis, cujus pedes ex quinque digitis constabant, in terram reperet. Sed multo majoris momenti fuerat ut prima alga in terram reperet. Ex hac alga primum gramen sese evolvit, quoad totum orbem tegeret. Ex gramine lente ceterae plantae. Primae fuere illae, unde carbones sunt ortae. Aetas illa dicitur «Tertiaria». Sicuti plantae summae fuerunt magnitudinis, ita, et animalia, quae «Saurios» dicimus. Unum etiam hodie vivit: «phoca», magnitudinis ad 30 m. Sed haec animalia, quorum corpora bene conservata inventa sunt plurima ubique, non fuerunt «mammalia», id est non nutrierunt catulos suos, sed ova pepererunt. Iterum longo temporum decursu prima animalia mammalia sese evolverunt, quamvis parva vere. Novimus priscum equum, erat 15 cm. altus!

Jam transeamus ad «hominem sapientem». Ex animalibus sese explicabant «simiae» ut Gorilla, Orang-Utang, homini fere similes. Vivebant in arboribus, unde in terram egressi fructibus vescebantur. Pedes oblongi et manus, frons recedens, dentes firmissimi, sed cerebrum non ita magnum. Et simiae et homines ex una stirpe prodierunt, sed cum simiae suam retinuisent speciem, homines sese in «homines sapientes» explicarunt. At non uno loco, sed diversis uno tempore. Sed unde anima nostra? «Inspiravit Deus in faciem Adami spiraculum vitae». Nonne id repugnat iis quae dixi? Minime. Ut Deus nec formavit Adam ex limo, ita nec animam proprie creavit: se sensim sine sensu evolvit. Nam Deus semel creasse est dicendus, non pluries. De hac re jam non est dubitandum. Ipsum magisterium ecclesiasticum id, quamvis cunctanter, discere et docere debuit. «Concilium» tandem se ad scientiam hodiernam accommodavit. Nam Deus sapientiam multo plus manifestavit eo modo, quem in his commentis sequor et sequor tuto.

Jam delabamur ad partem alteram. Quo munere fungi debebat homo «sapiens?». «Dedit ei terram, ut operaretur illam». Quidquid igitur operatur et facit, id ad terram meliorem reddendam facit. Ergo cum cogitas, loqueris, scribis, in finem hunc facis, sive es conscius, sive non ita. Operaris universo in statum finalem praeparandum. Cum Verbum Incarnatum nostram suscepisset naturam, cosmum totum consecrare coepit. Cum panem vertit in carnem, vinum in sanguinem, cosmum consecrare pergit. Cum pane de caelo pasceres, cosmum praeparas. Quo tandem omnia haec spectant? Ad punctum illud celeberrimum» «Omega» ut P. Teilhard dicit. Quid tandem est punctum illud? Transfiguratio Universi. «Ascendit Christus ut impleret omnia». Haec vox arcana, crux theologorum per tempora exacta, hic patet. Terra ingentibus ardoribus concremabitur, ordo universi perturbabitur. Demum in temporum fine Christus

universum transfigurabit, clarificabit et glorificabit et in sese clarificatum excipiet». Assimilabit nostrum corpus humile suo clarificato. Tunc omnia subiciet Patri, ut Deus sit omnia in omnibus. Nunc intelleges: «Vidi terram novam et novum caelum». Punctum Omega sumus assecuti: Esse divinum, esse nostrum deificatum, unum intellegere, unum velle, unum amare per saecula saeculorum. Deus est omnia in omnibus.

N. MANGEOT, S. J.  
Thorpe Bay 99 Tyrone Rd, England  
In Britannia

# PER ORBEM

COLLEGIUM LATINITATI INTER OMNES GENTES FOVENDAE

*Sessionis a. d. III Kal. Maj. a MDCCCCLXVIII habitae  
expositio*

A. d. III Kal. Maj. a. MDCCCCLXVIII, Romae, apud Institutum Romanis studiis provehendis, altera habita est sessio Collegii Latinitati inter omnes gentes fovendae, prout docti viri voluerunt qui Conventui interiuerant mense Aprili anno MDCCCCLXVI habito.

Roman igitur convenerunt Collegii socii ex Americae Septemtrionalis Foederatis Civitatibus (R. Palmer), ex Austria (A. Isnenghi), ex Bohemia (I. Kabrt), ex Brasilia (V. L. da Nobrega), ex Britannia (G. S. Maguinness), ex Burundi (V. Derouau), ex Dacia (N. Barbu), ex Francogallia (P. Grimal), ex Gallia Belgica (J. Ijsewijn), ex Hispania (J. M. Mir), ex Italia (P. Romanelli), ex Jugoslavia (V. Gortan), ex Melita (E. Coleiro), ex Urbe Vaticana (H. Tondini).

Scripserant se incepto favere eique felicem exitum exoptare ex Batavia I. H. Waszink, ex Canada S. Kresic, ex Columbia O. Cuéllar, ex Finnia P. Numinen, ex Graecia C. Grollios, ex utraque Germania I. Irmscher et A. Thierfelder, ex Helvetia P. Schmid, ex Hibernia I. O'Meara, ex Japonia H. Izui, ex Polonia C. Kumaniecki, ex Unione Sovietica I. M. Borovskij, ex Turcorum re publica F. Perek, qui alius alia causa impediti erant ne cum collegis eo die Romae versarentur.

Praeter Collegii socios, quos supra diximus, interfuerunt etiam—acciti ab Instituti praeside— R. Schilling Francogallus, S. Mariotti, V. Ussani, A. Duro Itali. Interfuerunt etiam O. Morra, V. Paladini moderatores (una cum H. Tondini et H. Paratore, qui invitus afuit) Romani conventus et G. Pacitti ejusdem conventus ab actis.

Ex voluntate omnium P. Romanelli praefuit sessioni: ab actis munere J. Farenga Ussani functa est.

Antequam de agendis disputatum est P. Romanelli omnibus collegis virisque doctissimis gratias egit ob honorem quo Latinas litteras observarent colerentque longum itineris spatium emensi et eis xenia dedit Acta conventus a. MDCCCCLXVI, quae illis diebus in lucem prodierant. Denique gratias plurimas persolvit H. Colombo,

qui aderat quique typis Acta exscripsit pulcherrima specie dignaque magni ponderis re.

Subinde praeses omnibus themata consideranda ac disputanda proposuit quae in concilio anni MDCCCCLXVII lata erant:

1. — De prima quaestione, quam E. Coleiro et R. Schilling proposuerant quaeque his continentur verbis: «Magistris adolescentibusque insituantur Romae apud Institutum Altioris Latinitatis congressiones et scholae ad latine loquendum idoneae», fusius subtiliusque inquisitum est. De qua re alii cogitaverunt in singulis nationibus has acroases et praelectiones habendas esse: idque discipulis utilius efficaciusque futurum esse (V. L. da Nobrega); vires non dissociandas G. S. Maguinness censuit cum hujusmodi adolescentium acroases in compluribus nationibus essent constitutae; quae evolvendae essent quaestiones in his colloquiis H. Tondini expetivit, quod si uno peragerentur mense res parvi momenti viderentur. N. Barbu, I. Kabrt, A. Isnenghi et E. Coleiro in primis, probaverunt ac tenuerunt has praelectiones utilissimas fore discipulis; qui antiqua Romanorum monumenta simul inspicientes et cum sociis ac magistris exterarum nationum colloquentes, multa ad latine loquendum ediscant, Romanorum cultum et humanitatem penitus perspicient et cognoscent, animosque plane conformabunt. Postquam R. Schilling mense Septembri has acroases Romae habendas censuit, communi sententia Collegium statuit hoc propositum moderatoribus Pontificii Instituti Altioris Latinitatis esse deferendum ac rogavit J. Mir, qui in eo Instituto scholas Latinitatis tradit, ut re cum A. Stickler praeside agere vellet; quem deinde P. Romanelli, ut de re tractet et conveniat, ipse adibit.

2. — In conventu Lugdunensi hoc votum nuncupatum erat: «Ut complurium nationum concilia et U.N.E.S.C.O. summaria latine scripta in commentarios accipiant et quotannis edant indicem ubi doctorum opera in summaribus latinis breviter contracta pervulgentur»; quod ut fieri possit nondum advenisse tempus visum est. Alia tentanda est via: singuli scriptores in sua laborent natione oportet ut hoc propositum perfici tandem possit (Grimal - Schilling).

V. Ussani lineamenta proposuit commentariorum, quibus studia praecipua percenserentur de litteris, de antiquis operibus monumentisque ubique vulgata: propriam indolem virtutem horum commentariorum exposuit: sed cum ad impensam perventum est, rem haud facile ad exitum perducere posse omnes socii aperte dixerunt quia Academiae studiorumque Universitates impares sunt sumptui.

3. — Subinde G. Morra de alia ephemeride disseruit quae ad proposita Collegii congruentius pertinere videtur atque ad ea quae in Conventibus de lingua Latina pertractata sunt. Orator adjecit ephe-

meridis lineamenta similia esse debere illius libelli quem ad usum et studium latinae linguae olim Institutum Romanis studiis provehendis in lucem edidit: bis aut ter in anno libellum vulgandum esse: quaestiones vero, de quibus ageretur, his quasi indicibus comprehendere posse: «Quid in singulis nationibus ad linguam latinam fovendam perficiatur; quae prospera aut adversa latinae linguae sint aut praevideantur; quid nos agere oporteat; qui Commentarii, qui libri, quae certamina, quae concertationes ubique terrarum». In illis autem indicibus apponi posse confirmavit J. M. Mir quod per litteras praesidi significaverat, ut in singulis libellis parvus de rebus nostrae aetatis index verborum evulgaretur. Fuerunt autem qui ephemeridem sermone latino conscribendam esse jure putarent (H. Tondini), alii vero nuntia, proposita, animadvertenda, patria seu vernacula lingua exaranda esse (Coleiro, Maguinness, Mariotti); omnium tamen ex sententia commentarii LX aut LXXX paginas amplectentur. Sed impendia iterum incepto nocent et obstant: in spe tamen P. Romaneli se esse dixit ut haec ephemeris tandem edatur.

4.— Quo loco agatur proximus Conventus posthac disputatum est: A. Isnenghi, qui in sessione superioris anni sedem vere probabilem quandam ex urbibus Austriae —fortasse Juvavum Noricum— proposuerant, id ad effectum adduci non potuisse significavit. N. Barbu amico animo affectos esse Moderatores Daciae ut Bucarestiis qui proximo de lingua latina conventui aderunt hospites recipiantur, sincero corde expressit: nunc vero cum sint Moderatores gravioribus negotiis districti postulavit duos spatii menses ad rei publicae rectorum sententias penitus investigandas. E. Coleiro Melitam insulam proposuit omnibusque libenter obtulit: iterum Barbu ut sibi fides daretur enixe rogavit. De re varie disputatum est: animi nonnihilo cunctati sunt, nam mens erat ut in hac sessione sedes conventus statueretur. Denique res suffragio decreta est: sedecim socii tulerunt suffragia pro Bucarestiis: tres reliqui abstinerunt. Quod si res bene vertet —A. Isnenghi, S. Mariotti, V. Ussani ex sententia— commoda haud pauca, ex Conventu in natione socialista habito, praevidentur: idque aliis erit exemplo. Tandem haec statuta sunt: nisi a Moderatoribus Dacoromanis duos intra menses proximum conventum apud se suosque haberi probaverint, in insula Melitensi sedes eligatur.

5.— Aggressi sunt subinde Collegii socii quaestionem gravissimam, argumentum scilicet, in proximo conventu pertractandum. N. Barbu, E. Coleiro, V. Gortan, P. Grimal, I. Ijsewijn, A. Isnenghi, G. S. Maguinness, S. Mariotti, R. Schilling, V. Ussani haec praesertim (ceterum idem fere de re sentire I. Borovskij, I. Irmscher, C. Kumaniecki scripserant) pertractanda esse dixerunt: 1) qua ratione, qua via docenda esset latina lingua, et quomodo divulganda

haec ratio esset; 2) quantum latina lingua ad fingendos conformandosque vernaculos sermones contulisset; 3) quae latinae linguae fuisset condicio, scilicet quem locum latina lingua habuisset et aetate quae media dicitur et subsequentibus aetatibus; 4) demum illud quoque argumentum a. V. L. da Nobrega superiore anno propositum: «de Vergilii in litteris et artibus singularum nationum praesentia».

6. — Posthac quaestio acta est: «Quid proximo conventui conferre possint latinae litterae aetatis qua illae renatae sunt.»

Ad rem Ijsewijn apte et apposite locutus est. Nam a saeculo quarto decimo ad nostram fere memoriam complura fuerunt milia scriptorum latinorum, qui cum veteres auctores felicissime imitati essent, novis insuper procudendis vocabulis novisque temptandis generibus litterariis veterem Latinitatis thesaurum insigniter ampliaverunt, simul autem exemplo nonnumquam fuerunt epigonis vernaculis. Quodsi proximo conventu oratores aliqui de hac latinitatis provincia disputaverint latinis studiis nova eaque laetissima sperari licebit incrementa.

7. — Subinde V. Derouau argumentum propositum aggressus est «de ratione studiorum latinorum apud scholas secundarias regionis, quae «Burundi» dicitur, confecta». Burundi est parvula quaedam res publica in media Africa ad litus septemtrionale lacus Tanganyikae sita, cui anno millesimo nongentesimo sexagesimo secundo Coniunctarum Gentium Societas plenam libertatem concessit. Cum universa studiorum ratio his annis in Burundi penitus recognita sit, ex mandato rei publicae rectorum aliquot magistri latina studia renovanda susceperunt. Omnis haec latinae linguae docendae ratio in partes quattuor divisa est sed praecipue magistris commendatur ut scriptores latini qui leguntur non tantum e grammatica explicentur, sed etiam per historiam universam rerum, artium et humani cultus semper illustrentur.

8. — N. Barbu iterum monuit omnibusque suasit ut in docenda lingua latina imagines depictae et alia nostrae aetatis instrumenta adhiberentur.

9. — J. M. Mir votum eorum qui conventibus de lingua latina adfuerunt, jam a primo Avenione habito, —id est societatem condere cujus esset de novis vocibus investigare, certas proponere, lexicon parare—, hortatus est ut ante proximum conventum tandem perficeretur; atque ut Institutum Romanis studiis provehendis, Moderatores ephemeridis quae «Latinitas» inscribitur, Institutum Altioris Latinitatis fundamenta hujus societatis essent, quibus nonnulli peritissimi de re viri ex aliis civitatibus adsciscerentur oporteret.



10. — Postremo de lexico electronico latino A. Duro pauca sed clara et definita dixit: quem, dum luculenter rem exponit, attentis animis omnes audiverunt.

11. — Ad extremum cum hoc Collegium nomen proprium ac definitum non habeat, de sententia V. L. da Nobrega, omnibusque assentientibus, «Collegium Latinitati inter omnes gentes fovendae» in posterum appellabitur.

Itaque haec altera sessio finem habuit.

JULIANA FARENGA USSANI, ab actis  
Piazza dei Cavalieri di Malta, 2, Roma (803)  
In urbe Roma

### *CERTAMEN CAPITOLINUM XX*

Institutum Romanis studiis provehendis, auspiciis Summo litterarum artiumque apud Italos Curatore et Romanae civitatis Magistro, ad novum prosae latinae orationis certamen omnes omnium gentium latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium majestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, honorificentissimum Romanae civitatis munus, in basi victoris nomen atque annum et diem certaminis praeferens. Huic sigillo Summus litterarum artiumque liberalium Curator quingenta denariorum Italicorum milia ex aerario adici jussit.

Ceteri petitores, qui digni habiti sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, a civitate Romana item donato, qui in antica parte Capitoli imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri Summus litterarum artiumque liberalium Curator ducenta et quinquaginta milia denariorum Italicorum ex aerario jussit addi.

Exitum certaminis a. d. XI Kal. Mai. a. MDCCCCLXVIII, die

Urbis natali, in aedibus Capitolinis, Romanae civitatis Magister in oratione, quam de more habiturus est, renuntiabit.

Scripta quae praemio ornabuntur typis excudenda, si visum erit, curabit Institutum Romanis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

#### LEGES CERTAMINIS

I) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputationibus philologis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, ne mille et quingentis verbis breviora, *ne prius in lucem edita, ne alio praemio ornata neve laude, neve ex alio sermone sint conversa.*

II) Quinque libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad *Istituto di Studi Romani—Ufficio Latino— Piazza dei Cavalieri di Malta, 2— Roma a. d. XVIII Kal. Febr. proximi anni non suo tamen distincta nomine ne in integimento quidem, quo conclusa sunt, sed sententia munita, quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti.*

III) Quinque viri iudices erunt a Summo litterarum artiumque liberalium Curatore et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post iudicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praeferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur: sin minus, una cum scidulis obsignatis, tertio exacto mense post iudicium publicatum, delebuntur igne.

D. Roma Kal. Jun. a. MDCCCCLXVIII ab V. c. MMDCXXI.

PETRUS ROMANELLI  
Praeses Instituti

# B I B L I O G R A P H I A

PAGE, DENYS L. — *History and the Homeric Iliad*. University of California Press, Berkeley and Los Angeles, 1966, X + 350 p., 244 x 140 mm., \$ 1'95.

Hic liber nasci videtur non ex voluntatis conatu sed ex ubertate scientiae. In eo omnia vere scientifica ratione digeruntur, et ea quae inveniuntur, non fabulose, sed ex certis indiciis, litterariis vel effosionum, derivantur atque roborantur. Plurimae igitur notationes litteris minutis post singula capita editae, non minus quam 939 sunt, quarum amplitudine circiter 139 paginae complentur. Sunt etiam picturae quae textum explicant. Summatim: in hoc opere invenies tute ac strictim ultimam et novissimam investigationum veritatem de trojanis quaestionibus. Ex indice haec demonstrantur: in cap. I statuit cl. auctor Ahhijawa illos Hittitarum documentorum viros esse Achaeos, Rhodios praesertim; in II lucida omnium Trojarum historiae fit summa, et uniuscuique earum tempus vivendique genus accurate sapienterque definitur; in III monstrat historiam solidum trojano bello fundamentum praebere; in IV, post rite perpensam Homeri Graeciae descriptionem, sex educit cl. auctor "periculosas quamvis rationi consentaneas" conclusiones, quas non omnino desperat vulgo probatum iri. Fabulosum ego vero non debile censeo, fereque inhumanum nimiam esse veritatem; in V comparantur res quae tabulis linearibus B Pyli Gnessique inventis describuntur cum eis quae in Illiade

constant; in VI eoque latissimo capite (p. 218-296) reliquiae mycenicae in Illiade pervestigantur. Appendice agitur de multiplici Illiadis auctore. Praeter laboris perfectionem et nonnullas novas et traditioni amatori forte absonas opiniones, notandam censeo tantam dicendi amoenitatem et materialium varietatem ut non nisi vi lectionem intermittere valeas.

PODLECKI, ANTHONY J. — *The Political Background Of Aeschylean Tragedy*. Ann Arbor, The University of Michigan Press, 1966, XII + 188 p., 215 x 145 mm., \$ 7'50.

Aeschyli tragoediae commentariis ornantur novis eisque solidis de rebus militaribus et civilibus quae dramatum compositioni copiam suppeditarunt. Materia in tot dispersitur capita quot sunt Aeschili opera quae exstant; conclusio et tres appendices praeunt notationibus quibus 32 paginae complentur. Est quam plurimis eisque scitissimis argumentis cumulatus liber. In eo, qui Aeschylum amant atque colunt, multa grata invenient. Plurimi lectores ex eo Graeciae rerum certiores fient.

DALE, A. M. — *Euripides Helen* edited with Introduction and Commentary, Oxford, At the Clarendon Press, 1967, XXXIV + 169 p., 13 x 19 cm., 28 s., net in U. K. only.

Textus Murray adhibetur; ex fertis tamen in calce lectionibus,

quasi editio critica videtur; nec in commentariis textuales quaestiones excluduntur, immo correctiones proponuntur, quae in appendice II cumulatae sunt: est enim in auctoris animo sinceram Euripidis interpretationem offerre, ad quam textui fides praevia sibi necessaria est. Commentaria, non magistris in primis accommodata, quae metricam spectant, tironum eruditionem, mea saltem sententia, excedunt: eorundem longitudo et altitudo valde eximiae sunt. Eis qui id norunt, non dissonum videbitur domus editricis Clarendon libros vel ipsius librariae artis cupidine atque studio tantum appeti licere. Introductio locuples est. Opus omnino perfectum.

KIRK, G. S., PARRY, ADAM. — *Homeric Studies*. Yale Classical Studies, Department of Classics, Volume Twenty, New Haven and London. Yale University press, 1966, 240 p., 16 x 24 cm. \$ 7.00, 52 s., 6 d. net.

Hujus voluminis sex opuscula, praeter eximiam speciem in editione typographica et studium accuratissimae expositionis, hoc habent commune, quod Homerum vel antiquum hexametrum tractant idque sub hodierni progressus luminibus. Claris. femina Anna Amory somniorum portarum (Oxl. 19.562-7) interpretationes a Vergilio et Eustathio usque ad hodiernos recenset, et novam proponit revera subtilem et juxta exquisitas textuales interpretationes dicendique leges elaboratam, quae mihi quidem placet. Ericus A. Havelock in Hesiodi quodam loco, G. S. Kirk toto Homeri opere, in disquisitionem veniunt in universum de hexametri structura

et poesi quae oralis dicitur; quibus in tractandis, sententias sapientium Fraenkel, Porter, Notopulos perpendunt et quandoque limant et augent. Quam vero hoc exquisita perceptione fiat non nisi in eis legendis discas. Etiam Adam Parry de oralis poeseos traditione investigat necnon M. Parry Lordque ipsiusque Kirj sententias in iudicium vocat. Demum Joseph A. Russo iterum intendit M. Parry doctrinam accuratius definire. Est ut vides, in libro, non pauca controversia, quae omnis paene in eadem re versatur. Iudico in homericis investigationibus necessarium opus.

EULOGIUS TEJERINA, C. M. F.

GRUBE, G. M. A. — *The Greek and Roman Critics*, p. 372. Methuen & CO LTD, London, 1965.

Cum lector hunc professoris G. M. A. Grube librum, cui est index "Critici romani et graeci", in manibus teneat, intellegere quoque debet auctorem lucubrationem duplicis cultus —romani nempe et graeci— exaravisse. Cum scholasticus librum aperiat, ante oculos habebit qui viri in litteris latinis et graecis praeclari fuerint: ex Homero, ex Hesiodo eorumque operibus litterariis usque ad Aristotelem ejusque scripta, scholam Alexandriae scholasque philosophicas; ex Plauto, Terentio, Cicerone, Dionysio, Horatio ejusque operibus ad Tacitum, Quintilianum, Plinium, Lucianum, Hermogenem. Auctor sibi proposuit offerre lectoribus opus scitissimum ac validissimum de litterarum cultu apud graecos et romanos et de progressu litterarum et de viis ac rationibus scribendi atque iudicandi ex Homero usque ad tertium saeculo

lum post Christum. Hoc opus conscriptum est iis omnibus quorum interest historiam artemque criticam cognoscere; quam ob rem necesse non est intellegere linguam latinam vel graecam, quia textus graeci et latini quos lector in libro inueniat, usurpantur ut scriptorum verba et locutiones rite seruentur. Totum animum curamque intendit auctor in textus iudicandis itemque summum ejus propositum fuit lectoribus ostendere quid critici scriptores romani et graeci dixerint quidque dicere vellent cum ipsi ea omnia dicerent.

MYLONAS, GEORGE E. — *Mycenae and the Mycenaean Age*, p. 251, Princeton, New Jersey, 1966, \$ 18'50.

Ducentas quinquaginta unam laminam cum triginta picturis in hoc magno volumine quod ad cultum aetatis Mycenarum spectat inuenimus. Professor G. Mylonas hoc opus in duas partes distribuit; quarum prima universam Mycenarum historiam ostendit, altera tamen pars picturis optimis ornatur, quibus lector videre poterit in quo fonte Professor G. Mylonas potaverit ut omnia antiquarum Mycenarum lectoribus demonstraret. Omnia vulgata de archaeologia Mycenarum cultus inueniuntur in hac accuratissima investigatione Professoris qui lectoribus argumenta praebet postquam e campis effossionum graecarum aduenit et iter fecit de loco ad locum imaginibus utens luce expressis ac disputationibus; nam Professor G. Mylonas attente perscrutavit portas et muros oppidorum eorumque in arte militari significationem. Primum investigavit auctor quid novi domus magnorum dominorum in vita sociali et publica gererent, deinde quod momentum viae seu

itineria in re oeconomica haberent; denique qua vi et auctoritate picturae earumque significatio in religione valerent. Professor G. Mylonas, praeter has quaestiones quas antea memoravi probare intendit num graecorum religio diversa sit a religione Minoarum cultusque mortuorum apud Mycenarum gentes inueniatur. Professor G. Mylonas lectoribus in hoc libro et momento et mole magno, ampliora dabit responsa.

COMMAGER, STELLE. — *Virgil: A collection of critical Essays*, p. 186, Prentice-Hall International, Englewood Cliffs, New Jersey, 1966; price 1'95 \$.

Hic liber a selecta corona professorum Universitatis Yalensis (Yale) exornatur. Hoc volumen — criticorum comentariorum collectio — destitutum est ad patefaciendas atque vindicandas non nullas res ex Vergilii operibus: Arcadium, Georgica, Aeneidem, Aeneam atque Odysseam...

Hic liber, quamquam investigationis est opus, lectoribus placebit eisque lectiones iucundae fient, quia Professores hoc mirum opus conscripserunt, cum in lucubrationibus exarandi opiniones dicendique genus recentium scriptorum miscuisent.

VERMASEREN, J. M. — *The Legend of Attis in Greek and Roman art*, p. 59, Leiden, E. J. Brill, 1966.

Auctor hujus opusculi de litteris antiquis loquitur. Scriptores classici ingenii venam ad poemata scribenda in mythologia inueniebant. Quod maxime accidit cum historia Cybelis atque Attidis vatibus trac-

tanda erat. Professor J. M. Verma-  
seren omnes explanationes cetero-  
rum auctorum atque imagines luce  
impressas plurimorum museorum  
collegit ut historiam horum he-  
roum accuratissime describeret. Hoc  
opusculo professor nobis ostendit  
quemdam quasi aspectum historiae  
Cybelis et Attidis quem alli scrip-  
tores nondum detegerant: totam  
eorumdem vitam. Quae omnia, qui  
opus legerit, in quinque capita scite  
distributa inveniet: Attidis ortus  
(p. 2-12); Attidis aetas puerilis  
(13-21); Cybelis studium erga Atti-  
dem (22-30); Attis sese mutilans et  
moriens (31-38); Attis tristis et hila-  
ris (39-59). In fine operis viginti pa-  
ginae inveniuntur pulcherrimarum  
imaginum quibus historia Cybelis  
Attidisque illustratur.

OTIS, BROKS. — *Ovid as an Epic  
poet*, p. 410, Bentley House, Lon-  
don, 1966, 65 s.

Ovidius "Scriptor poematum epi-  
corum" est index hujus libri claris-  
simi Professoris B. Otis, in quo de  
Ovidio ejusque libris *Metamorpho-  
seon* persciter agitur. Ut scholasticus  
vel lector facile intellegat hoc  
opus, professor in novem capita id  
dividit, quibus lector argumenta  
*Metamorphoseon* et commentaria  
legentibus utilissima facile inve-  
niet. In structura *Metamorphoseon*  
investiganda, professor Otis demon-  
strat unitatem poematis non esse  
tantummodo in ordine serieque an-  
norum sed in ordine atque progres-  
su rerum gestarum cogitatorumque  
scriptoris. Lector tandem videre po-  
terit quomodo ultimum caput sit  
quasi scaena ubi Ovidius ipse, auc-  
tore B. Otis, patefit atque detegit-  
tur.

SAMUEL, ALAN E. — *The Mycenaeans  
in History*, p. 158 Prentice-Hall  
International, Englewood Cliffs,  
New Jersey, 1966, 2'45 \$.

Mycenenses in historia: haec in-  
vestigatio jucundissima videtur his-  
toria incolarum Mycenarum ex pri-  
mis Mycenensibus aetatis neolithi-  
cae ad argenteam prolem cultus  
Mycenensium qui abhinc tribus mil-  
le annis urbem illam habitarunt.  
Professor Alan E. Samuel describit  
comentariis accuratissimis imagini-  
busque ab ipso luce impressis for-  
tunam, artem sophisticam, multipli-  
cemque societatem primorum grae-  
corum atque insularum maris  
Aegaei. Auctor hoc opusculum in  
novem capita dividit atque unum-  
quodque horum caput in alia quo-  
que subdividit: THE DISCOVERY  
OF MYCENAEAN CIVILIZA-  
TION: The excavatio of Mycenae,  
Crete and the Minoans, The explo-  
ration of Greece, Between the Wars;  
THE FORERUNNERS OF THE  
MYCENAEANS: The neolithic pe-  
riod, The early Helladic period;  
The Introductio of Bronze, Cret:  
The Beginnings of Minoan Civil-  
ization, The Middle Helladic period:  
The Greek invassio; THE CEN-  
TERS OF MYCENAEAN CIVILI-  
ZATION: The Evidence of Potte-  
ry, The Palace of Mycenae, The pa-  
lace at Pylos, Tiryns, Gla and  
Others, Art and Artifacts; RECORDS  
OF THE PAST: The Deciphre-  
ment of Linear B, The nature of  
the Tablets, Pylian Geography,  
Property and Real Estate, Always  
Bureaucracy, Social Organization;  
EARLY GREEK RELIGION: The  
nature of the Evidence, Gods in  
the Tablets, Evidence from My-  
cenae, General Characteristics of  
Mainland religion; THE MYCE-

NAEANS IN GREECE: The Peloponnesus, Central and North Greece, Uniformity of Culture, The power structure; TRADERS TO THE WORLD: The commerce with Egypt, The Eastern Mediterranean, A bronze age shipwreck, The profits of Trade; THE WORLD OF THE MYCENAEANS: Hittite-Egyptian struggles, The Mycenaeans and the Hittites, The Mycenaeans and Egypt, The Third Force; THE END AND THE BEGINNING: The First attacks, The attempt to survive, The Mysterious sea peoples, The end of a society, Transition at Athens, The beginnings of Hellenic civilization.

CLARKE, HOWARD W. — *The art of the Odyssey*, p. 120, Printice-Hall International, Pegasus House, Golden Lane, London. Ec. 1, 1967, price 1'45 \$.

Lector hoc opusculo, quod ex quinque capitibus constat per utiles lucubrationes de Odyssaea habebit. Auctor hujus libri, professor H. W. Clarke, post non nullos lucubrationis annos nobis commentaria atque explanationes Odyssaeae offert. En tibi brevia, quamvis magni momenti capita: Book one: So me firs impressions; Telemachus and the Telemacheia; Odysseus in Wonderland; The return of the Hero; Comparative Epic; Appendix I: Chronology; Appendix II: Translation and Translations; Appendix III: Further reading; Notes. Hae tres insequuntur appendices quae auxilio lectoribus erunt, ut auctoris propositum adimpleatur qui desiderat opusculum esse adjumentum seu introductionem ad ingrediendum hoc summum Homeri opus.

KINTER, WILLIAM L. - KELLER, JOSEPH R. — *The Sibyl: Prophetess of Antiquity and Medieval Fay*, p. 102, Dorrance & Company, Philadelphia, 1967, price 3'50 \$.

Opus, quod nobis Professores W. L. Kinter et J. R. Keller exhibent, in primis est investigatio litteraria. Argumentum hujus operis origo et processus litterarum latinarum est. Professores demonstrant primos scriptores latinos personas clarissimas vel mythologicas induxisse ut majorem vim in scriptis suis consequerentur. Quae personae in primis Sibyllae erant. Itaque hoc libro patet quo modo Sibyllae sine dubio sint vates qui tempora antiquae et mediae aetatis jungunt. Studiosis litterarum hoc opus fons doctrinae litterariae est. Propter hanc lucubrationem ejusque dotes typographicas summam merentur auctores gratulationem.

ELSE, GERALD F. — *Poetics Aristotle*, p. 123, Ann Arbor, Michigan, 1967, 4'50 \$.

Aristotelis Poetica commendatur et vertitur in linguam britannorum in hoc volumine a professore G. F. Else. Professor hoc libro intendit operi aristotelico fidem servare cum id in vernaculam linguam interpretatur. Hujus operis translatio atque annotationes non exhibentur ut lectores Poeticae Aristotelis perfectam investigationem habeant vel summam artis criticae sed lectoribus aliquam summam litterarum graecarum ad mentem Aristotelis praebent. Hoc volumen utilissimum erit iis qui legere cupiunt quod Aristoteles certe dixit. Qua de causa lector non invenit in libro solummodo versus Aristotelis sed etiam optimas

explanationes professoris G. F. Else de persona et genere dicendi aristotelico.

Maximus magister Aristoteles appellatur, nam quamcumque rem attingit investigandam, doctrinam mox extruit. Quae doctrina in libro Professoris G. F. Else non extinguitur, etsi Aristoteles, ut ita dicam, lingua britannica loquatur.

BEACH, B. GOODWIN - BATTLES LEWIS FORD. — *Locutionum cotidianarum glossarium*, p. 304, Hartford Seminary Press, Connecticut, 1967.

Hic liber est summarium locutionum latinarum quod hodierni scholastici facile volvere possunt. Quod tribus partibus constituitur. In prima parte regulae grammaticales praecipuae praebentur, necessitas hujus operum hodie edendorum ostenditur, sententiae dantur auctorum de appellandis litteris fontibusque e quibus ipsi quodam modo biberunt.

Deinde secunda parte, quae amplior est, nobis glossarium cotidianarum locutionum offertur et quo modo dicere aliquid alicui debeamus, traditur. Denique amplissimum et scitissimum glossarium recens invenimus in parte tertia, ubi lectores animavertent quantum ingenium Professores Actensis et Pugnax habeant ut novissimis verbis ditent linguam latinam et quo modo eandem in facilem et hodiernam ipsi convertant.

Hoc libro uti magni interest sacerdotum et sacerdotii candidatorum omniumque qui sermonem latinum non emortuum sed vigentem florentemque ad hominum necessitudines usurpare velint.

DEOCRATIAS MOSAKA, C. M. F.

D'ARBELA, V. EDMUNDO. — *Propertius, Elegie*. Vol. III, pp. 381, ed. Istituto editoriale italiano, Milano, 1965.

“Aut illis flamma aut imber subducet honores / annorum aut ictu pondera victa ruent/. At non ingenio quaesitum nomen ab aevo/ excidet: ingenio stat sine morte decus” (Eleg. III, 2, 23-26). Sic canebat Propertius. Et alio loco: “Orpheus detinuisse feras et concita dicunt / flumina Threicia sustinuisse lyra”. (Eleg. III, 2, 3-4).

Adhuc Propertii verba valent. Adhuc poetae manent. Iterum atque iterum in lucem eduntur carmina. Manet Horatii clamor: “Exegi monumentum aere perennius”.

In hoc tertio volumine invenies tertii et quarti libri Propertii elegias critice adnotatas et italice conversas. Interpretatio vero accurata videtur.

DEL CORNO, D. — *Menandro, le commedie*. Vol. I, pp. 585, ed. Istituto editoriale italiano, Milano, 1965.

Tredecim continentur Menandri commoediae in hoc primo volumine. Alter insequetur. Hae omnes Menandri commoediae, scilicet: Il Genio tutelare, L'arbitrato, Mulieris oratio, La Fanciulla tosata, Commedia incerta, Il contadino, L'invasata, Il citarista, L'adulatore, Le donne che bevono la cicuta, L'odiato, La donna di Perinto, L'apparizione, ratione critica exhibentur. “Novi editoris munus censui excipere — ipsius auctoris verbis utar— solum ea quae Menander scripsisset testesque servavissent, atque puris putisque poetae verbis pretium operis committere”. In italica interpretatione



conjecturas, quas in apparatu recepisset auctor, inseruit juncinis ad eas significandas adhibitis, ut hic saltem quodammodo continua flueret oratio.

Dignas laude introductiones existimamus; et imprimis laudanda est introductio universa in qua de Menandri vita, de ratione in ejus aetate vivendi agitur, deque Menandri arte poetica ejusque secunda et adversa fortuna.

TETRAONYMA. — *Miscellanea Graecoromana*. Università di Genova. Facoltà di Lettere, pp. 320. Istituto di Filologia Classica e Medioevale, 1966.

Hoc volumen Lucae de Regibus, Paulino Mingazzini, Aldoni Neppi Modona et Henrico Turolla ab eorum collegis discipulisque dicitur. Nonnullas continet lucubrationes: scilicet: Sisenna e gli avverbi in *-im-*. Il terzo stasimo dell'Agamennone. La "Vita Tibulli". Ero e Leandro. Considerazioni critiche sull'origine del mito. Motacilla, Strittabilla e le formazioni latine in *-tlo-*, *-tro-*, *-dhlo-*, *-dhro-* di genere animato. Et aliae continentur haud parvi momenti disputationes.

GIANNINI, A. — *Paradoxographorum Graecorum reliquiae*, pp. 430, edit. Istituto Editoriale Italiano, Milano, 1966.

Nova ad paradoxographorum graecorum reliquias investigandas nobis offertur editio, quippe cum olim bene merens obsoletaque Westermianiana jam non probetur. Haec nova editio brevi adnotatione cri-

tica ab Alexandro Giannini instruitur, qui etiam latine reddit. In latinum enim transtulit reliquias satis amplas, libera ratione interpretatus, graecis tamen juncturis et vocabulis, ut fieri potuit, saepe inherens. Metrica ratio in convertendo servatur. Indices non nullos addere visum est, quo facilius "mirabilia" paradoxographorum graecorum complectamur. In extremo opere tabulam seu indicem "mirabilium" in partes ex potiore auctorum usu Dtr. Alexander Giannini descripsit. Compendia passim adhibita, cum saepe sint usitata per se satis explicantur. Denique auctorum selectio et singula fragmenta tum ex notis criticis, tum praecipue ex auctoris commentariis, satis declarantur.

DE SANCTIS, GAETANO. — *Scritti minori*; p. 561, vol. I, Edizioni di storia e Letteratura. Roma, 1966.

"Scriptorum minorum" collectio hoc volumine Cajetani de Sanctis initium sumit. Si verum est haec "scripta minora" jam pridem in plurimis commentariis edita esse, tamen hos commentarios consultare nonnunquam difficile erat ac proinde momentum hujus collectionis ignorabatur.

Ad hanc alteram editionem praeclarus magister opera sua distribuere juxta materiarum indicem animo conceperat. Hac ratione tantum primum volumen, quod hodie studiosis recensemus, ordinavit. Cetera autem volumina, servato temporis ordine, in lucem edentur.

Hoc primum volumen, quod S. Accame edendum curavit, non studiosis humanarum litterarum praetermittendum existimamus.

MOMIGLIANO, ARNALDO. — *Terzo contributo alla storia degli studi classici e del mondo antico*, T. I, T. II, pp. 873, Edizioni di storia e letteratura. Roma, 1966.

Nunc tandem hoc magno auxilio uti possumus ad classicarum inquisitionum historiam intellegendam. Auctor, pro sua parte, in hanc rem operam contulit. In duobus voluminibus, nonnullae inquisitiones atque investigationes jam pridem editae includuntur.

In prima parte agitur de historiographiae momento; de Athenis saec. III; de Christianitate et de Imperii Romani occasu; de christiana atque pagana historiographia; de Thebarum principatu apud Xenophontem atque Ephorum, cet.

Altero volumine eruditores de Romae ortu continentur scrutationes.

Nonnullae de methodo disputationes in libro exstant. Haec omnia summa utilitate librum decorant atque honestant.

MANTERO, TERESA. — *Ricerche sull' Heroikos di Filostrato*, pp. 234. Edit. Istituto di Filologia classica e medioevale. Genova, 1966.

Opus Philostratorum corporis cui index est "Heroikos" non in omnibus suis elementis investigatum est. Nam vel tantum sub specie litteraria, vel tantum sub specie religiosa ac philosophica tractari solet.

Veruntamen auctoris maxime interest non tantum reperire modum atque rationem vivendi mere religiosam ac philosophicam, sed etiam accipere mythologica commenta peculiareque loci mores; tandemque statum dialogi in antihomerica concertione fabulosasque narrationes inquirere.

LONGO, VINCENZO. — *L'epigramma scoptico greco*. Edit. Istituto di Filologia classica e medioevale, pp. 134. Genova, 1967.

Ars poetica graeca I saec. p. Ch. n. signa habet ex epigrammatum graecorum copia, Nerone imperante, effusa.

Talis poematorum abundantia quae nonnullos tantum duravit annos, quaeque praecipue in Lucilio, tanquam in magistro, exhibetur, proprietatibus rerum improvisarum atque fragilium offertur.

Ideoque, in hoc volumine, Lucilii opus vitaeque, aliorumque epigrammaticorum minoris momenti, qui fuerunt, investigatur atque illustratur.

Epigrammatis scoptici sermo scienter etiam consideratur.

ASSERETO, ANNAMARIA. — *Gaio Albucio Silo*. Edit. Istituto di Filologia classica e medioevale, pp. 93. Genova, 1967.

Hoc opus, quo auctrix Albucii Sili dicendi genus satis explanatum nobis offerre vult, in duas partes dividitur.

In prima parte continentur proemium brevesque loci quibus de Albucii Sili vita et operibus disseritur, de fragmentorum selectorum indole stilistica, deque ejusdem in litteris et philosophia cognitionibus. Prima pars tabula bibliographica concluditur.

Alteram autem parte auctrix complectitur testimonia de Albucio, conspectum codicum et siglorum atque "fragmenta" brevi apparatu critico exornata.

PETRUS HERRANZ, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

ALVAREZ, FÉLIX. — *La Madre del sumo y eterno sacerdote*. Su cooperación del todo singular a la obra del Salvador, pp. 400, 160 pesetas. Edit. Herder, Barcelona, 1968.

Ad Christi Matris sacerdotii fundamenta agenda, auctor Sacra Scriptura, quae omnibus christianis "regale sacerdotium" tribuit, innotuit. Christi vero sacerdotium ex Redemptione oritur, atque majore vel minore hujus operis societate conjunctioneque inter Summum sacerdotem et christianos, sacerdotii naturam in se ipsa discernimus. Unde vera Corredemptrix, peculiari et singulari modo Filii sacerdotium participare videtur.

Similitudo ab auctore ficta cum Sacrificio Eucharistico, magis intelligibile reddit mysterium, hancque mirificam unitatem clarificat: Christum, Mariam, Salutis Historiam.

FISCHER, H. Y OTROS AUTORES. — *Introducción a los libros de vida cristiana*, pp. 148, 85 ptas., Edit. Herder, Barcelona, 1968.

Hoc opusculum simili modo mente conceptum est atque liber qui, duos annos abhinc, in lucem editus est, cuique est index "Introducción al catecismo católico". Ab eodem auctore H. Fischer exaratur, cui etiam adjungi debent et alii periti qui in exarandis "vitae christianae libris", maximam operam navarunt.

Certi sumus inter hos christianae doctrinae libros maximam intimamque esse conjunctionem; quae conjunctio, ut patet, maximi momenti et ponderis videtur.

FERNÁNDEZ GONZÁLEZ, L. — *Cuadernos de Cálculo "Everest"*. Edit. Everest, León, 1967.

Gratissimum nobis est hodie parvulorum magistris hoc opus exhibere. Prima pars, cui est index "Iniciación al cálculo", quattuor libellis constat puerisque sex et septem annorum natis destinatur; optimis exornatur imaginibus quibus pueri facilius progrediantur. Altera pars sex difficiliores libellos continet, qui etiam modo progressivo exarati sunt. Auctori, qui suo opere pueros juvat, gratulamur.

NICOLAS, M. J. — *Theotocos, el misterio de Maria*, pp. 288, 175 ptas. Edit. Herder, Barcelona, 1968.

Singularis et ingeniosus in hoc opere apparet auctor. Praecipua cogitandi ratio haec est: Maria, Mater Dei; ex quo fonte omnia ejus magnalia oriuntur. Quam ob rem liber "Theotocos" appellatur.

Praeter hanc veritatem auctor Mariam "gratia plenam" considerat, ejusque cum Christo filiale commercium atque vincula quibus ea et Ecclesia conjunguntur.

PETRUS HERRANZ, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"  
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET  
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

---

JIMÉNEZ, Grammatica Latina ... ..	ptis.	60
" Repetitorium ... ..	"	60
" De Orthographia latina (altera editio) ... ..	"	20
" Index Orthographicus ... ..	"	5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio) ... ..	"	90

"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.) ... ..	ptis.	10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ... ..	"	12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> ... ..	"	10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) ... ..	"	12
* JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ... ..	"	10
" <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.) ... ..	"	10
" <i>Caesaris, De bello civili</i> ... ..	"	10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> ... ..	"	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ... ..	"	12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ... ..	"	10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> ... ..	"	8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> ... ..	"	12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I) ... ..	"	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> ... ..	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, ptis. 6

---

# Fundació Bernat Metge

## SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 163 Xenofont - Opuscles (vol. I)
- 164 Xenofont d'Efes - Efesiaques
- 165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)
- 166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Via Layetana, 30 - BARCELONA